



*MA*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*IC 140.*

SIGNAT. CICCCXIII.



*Marting Andreae  
o schatziensis.*

PARVVS

CATECHISMVS

REVERENDI AC SANCTI

PATRIS D. MARTINI LUTHERI,

PIAE AC FELICIS MEMORIE

RIAE CASTIS SCHOLARIS

IS ILLUSTRATVS:

T V S:

PER M. LEONARDUM

IACOBI NORTHVSIANVM,

ECCLÉSIAE CALBIENSIS PASTOREM.

REM.

REM.

2. *Timoth. 2.*

Verbum ueritatis recte tractet  
Episcopus, prophana &  
uaniiloquia deuitans.

L I P S I A E

EX OFFICINA VALENTINI

PAPAE.

---

M. D. LII.



# PRVDENTI

BVS ET VERE PIIS VIRIS  
D. CONSVLI ET CABTERIS SE=  
NATORIBVS OPPLDI CALBIS,  
DOMINIS AC BENEFACTO=  
RIBVS SVIS VNICE CO  
LENDIS, S.



EMO TAM STV=  
pidus est tamq̄ igna  
rus optimi, atq̄ pru=  
dentes uiri, quin sci=  
at ingenuas artes,  
seu disciplinas libe=  
rales, quas septem  
esse constat, singularia dona Dei esse,  
quæ ideo hominibus dedit, ut sint tan  
quã adminicula ipsorum uitæ, seu po  
tius gradus ad studia altiora & magis  
salutaria, quod quidem ex his perspi=  
cum est (dicam paucis) Omnis e=  
nim qui in secretis philosophorum  
dictis, in Poetica aut Oratoria facul=  
tate, & demum in cæteris disciplinis  
proficere cupit, primum id curet, ut  
congrui sermonis rationem habeat,

A 2

ita

## EPISTOLA

ita ut mentis conceptum apte latinè  
 que exprimere possit, ne dum maio-  
 ra profequatur & in minoribus uide-  
 atur turpiter labi: & ad hoc opus ha-  
 bet Grammatices institutione: hanc  
 sequitur Dialectica, quæ una, ut Cice-  
 ro 2. de Legibus ait, omnem perspi-  
 ciendi ac iudicandi, quid in unaqua-  
 que re sit, scientiam continet: proinde  
 D. Plato eos tantummodo rerum  
 umbras & simulachra uidere asserit,  
 non res, qui sunt ignari Dialectices.  
 Tertium locum occupat Rethorica,  
 quæ est bene & ornate dicendi scien-  
 tia, & quasi rerum publicarum guber-  
 natrix: prima ars, secundum Cicero-  
 nem & cæteris studijs antepone-  
 da, secundum Cornelium Tacitum.  
 Quartum uendicat sibi Arithmeti-  
 ca, quæ est numerorum scientia, quæ  
 nobis ad quasuis res aperit uiam, imo  
 huius tanta uis est, atq; utilitas, ut ab  
 ijs quoque, qui alias reliquas discipli-  
 nas paruifacere solent, summopere in-  
 quiritur. Quintum obtinet uenera-  
 bilis,

DEDICATORIA.

bilis, sancta & dulcis Musica, cuius dulcedine cuncta uiuentia capiuntur, in qua Socrates uir præstantissimus atque prudentissimus, iam senio confectus, ne expers eius moreretur, institui non erubuit: Illa nanque depellit curas, reprimit iram, nutrit concordiam, & non modo homines, uerum etiam ipsas bestias ad se allicit. De hac memorabile exemplum in scripturis diuinis extat de rege Saule, qui, cum uexaretur à spiritu maligno, quiescere non potuit, donec Dauid arrepta cythara ludente, dulcisona eius harmonia releuaretur. Sextum appropriat sibi Geometria, propter necessitatem diuisionis terminorum terræ ab Aegyptijs inuenta, teste Alphorabio: Cuius noticia non minus utilis est ac necessaria: per ipsam namque totius terræ ambitus & profunditas indagatur, superficies quoque & terræ & maris miro modo destinguitur, quam principem disciplinarum appellauit Philo Iudæus. Septimum

A 3

Astrono-

B P I S T O L A

Astronomia, quæ uersatur circa astra  
 cœli, tractans de numero sphaerarum  
 cœlestium, de iudicijs ad uitam fortu-  
 namq; pertinentibus: quæ ideo maxi-  
 me utilis, iuxta illud, Fœlix est, qui po-  
 tuit rerum cognoscere causas. Hæ ar-  
 tes, inquam, etsi maxime utiles sint ac  
 omnino necessariae in hac uita, tamen  
 subiectæ sunt tempori atq; obliuio-  
 ni, & tandem peribunt, solum autem  
 uerbum Dei nostri traditum per Pro-  
 phetas & Apostolos, manet in æter-  
 num,, Esaia 40. huic credentes iusti-  
 ficamur, saluamur, & accipimus Spi-  
 ritum sanctum & uitam æternam. Est  
 itaq; illius cognitio cæteris discipli-  
 nis, imo omnibus rebus in toto mun-  
 do anteferenda: & cum manifestum  
 sit illam cognitionem diuini uerbi,  
 æque ad omnes homines, cum senio-  
 res tum iuniores pertinere, ut Marci  
 16. Ite in orbem uniuersum & prædi-  
 cate Euangelium omni creaturæ: &  
 1. Ioan. 2. Scribo uobis filioli, quoniã  
 remittuntur peccata propter nomen  
 Christi:



DEDICATORIA.

Christi: scribo uobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est: scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis malignū: Scribo uobis infantes, quoniam cognouistis patrem: Scribo uobis iuuenes, quoniam fortes estis, & uerbum Dei manet in uobis. Item 2. Act. Vobis facta est repromissio et filijs uestris, dicebat Iudæis Petrus: & Mar. 10. Sinite paruulos uenire ad me, inquit CHR Iustus. Est ergo necesse, ut in scholis non solum artes liberales tractentur, uerumetiam Sacra scriptura doceatur. Sciant enim Iuuenes se Ecclesiæ Dei seminaria esse, ut noster Philippus ait: Nam ex hoc numero filius Dei regnans ad dexteram Patris æterni, ac dona dans hominibus, uidelicet doctores & pastores, sumit Euangelij ministros, quos præparari uult in scholis, hos esse custodes Prophetorum librorum & Apostolicorum & uerorum dogmatum Ecclesiæ uoluit. Quamobrem hortatus est Theophilactus parentes, ut sibi primam

## E P I S T O L A

mam curam esse sinant, ut pueri eorum diuinis literis imbuantur, dicēs: Liberos diuinis adde & assuesce sermonibus, fac in rem tuam uel maxime ut sacra Scripta tui & audiant & lectitent liberi, ex illis enim perdiscent, quid sit, uel quomodo debeant Deū timere, colere, inuocare, diligere, eiq; fidere: honorare Patrem et Matrem, proximum diligere, neminem lædere, & si quid est huiusmodi. Propterea uehementer mihi placuit, laudabile, pium, imo sanctum & multis nominibus prædicandū uestrum institutum, Viri sapientes optimiq; utpote, qui hæcenus non modo omnem operam dedistis, quo scholæ nostræ docti atq; p̄i rectores præficiantur, qui iuuentutem in bonis disciplinis probe erudiant, & ad uitæ honestatem ac ingenuos mores diligenter assuefaciant, sed uoluitis quoque ut postmodum ad Sacras lectiones traducantur, & in articulis ueræ atque Christianę religionis instituantur, ergo

DEDICATORIA.

go merito uos amo ac ueneror. Cum igitur anno superiori à me petiſtis, uiri humaniſſimi atq; piſſimi, ut in noſtra Schola pueris aliquam lectionem ex Sacris proponerem, & ſic ad riuulos fontis primum illos ducerem, quo tandem & ad ipſam quoq; fontis ſcaturiginem peruenirent, hoc eſt, ut ſimpliciter aut methodice eos in articulis Catholicæ fidei primum erudirem, donec ipſis per Spiritum ſanctum ad pleniorē ſiue perfectiorē cognitionem Chriſti, qui eſt fons uitæ atq; ſalutis, Pſal. 36. Ioan. 17. (de ſe ita dicens, Si quis ſitit, ueniat ad me, & bibat, Ioan. 7.) daretur peruenire. Quanquam uero primum mihi uidebatur tale ac tantum onus humeris meis plane impar fore, tamen iudicabam omnino abſurdum eſſe, meq; minime decere, huic ſi ueſtro chriſtiano inſtituto refragari, & ſtudioſæ atque charæ iuuentuti operam meam in tam pio & ſancto negotio deeſſe pati. Proinde primum in manus ac-

EPISTOLA.

cepi paruum Catechismum Reueren-  
 di in Christo patris D. Martini Luth.  
 sanctæ ac piæ memoriæ, ipsumq; qua  
 potui diligentia pueris exposui, &  
 scholijs ex sanctorum Patrum cum  
 antiquorum tum recentiorum quoq;  
 scriptis desumptis illustraui: Imitatus  
 in hoc morem Apostolorum Christi,  
 à quibus Catechismi doctrina sum-  
 psit originem. Cum enim uoluerunt  
 omnia in Ecclesia decenter atq; ordi-  
 ni fieri, instituerunt doctrinam Cate-  
 chismi in populo, uidelicet, pro ijs,  
 quibus adhuc lacte & non solido ci-  
 bo opus erat: oportebat enim rudes  
 adhuc in fide Catholica pie ac simpli-  
 citer primum institui, antequam ad  
 Euangelij prædicati mysteria & com-  
 municationem Sacramentorum ad-  
 mitterentur, & hoc patet de S. Luca  
 Euangelista, qui suo Theophilo iam  
 aliquouſq; in fide articulorum doctri-  
 ne Christiane progressu, & ad altiora  
 mysteria scripturæ anhelanti ac ten-  
 denti, ita scribit: Quoniam complu-  
 res

## DEDICATORIA.

res aggressi sunt contexere narrationem earum rerum, quæ inter nos sunt fidei certissimæ, sicut tradiderunt nobis hi, qui ab initio suis oculis uiderant, ac pars aliqua fuerant eorum quæ narrabant, uisum est & mihi, ut cunctis ab initio exacta diligentia peruestigatis, deinceps tibi scriberem, optime Theophile, quò agnoscas eorum, de quibus edoctus fueras, certitudinem. Facit porro mentionem doctrinæ Catechismi D. Paulus ad Gala. 6. dicens: Communice autem, qui Catechizatur sermone, ei qui se Catechizat, in omnibus bonis: accipit nimirum (Catechizatus) longe maiora bona, quam ipse (Catechizans) contulerit, quandoquidem demetit pro carnalibus spiritualia, pro temporalibus atq; caducis æterna. Habemus quoq; exemplum Ecclesie primitiuae. Catechumeni enim, id est, instruendi, uocantur auditores apud Tertulianum: Illuminandi apud Chrysostomum: sic Theophilus fuit Catechumenus

EPISTOLA

chumenus S. Luca. Eunuchus ille de quo in Actis cap. 8. fuit Catechumenus S. Pauli, ut testis est Irenæus. Divus Augustinus librum ædidiit de Catechizandis rudibus. D. Basilius magnus aliquot pias conciones habuit ad Catechumenos. Irenæus scribit, quomodo Paulus Catechizaverit, id est, in doctrina Catechismi instituerit gentes. Eusebius libro 5. capite 10. Ecclesiasticæ historiæ, uocat Catecheses, id est, institutiones Scholæ Ecclesiasticæ, rudimenta fidei, secundum nostram linguam *Milchwerck*: Vnde D. Pauli illud, 1. Corinth. 3. Lactis potu uos alui, non cibo: per potum lactis intelligamus simpliciore[m] quamdam doctrinam, inquit Theophilactus, qualis est Catechismi uidelicet, Concilium Braccarense certos aliquot dies in anno constituit, in quibus Catechumeni in articulis Catholicae fidei erudirentur. Reperiuntur etiam apud quosdam exemplaria Catechismi, quem ante sexaginta annos

Vene

*Handwritten marginal notes:*  
 A large flourish on the left side of the page.  
 A vertical line of notes on the left margin, starting with a large 'u' and containing several smaller 'u' characters.  
 A note at the bottom left margin: *in hunc modum in hunc modum*



DEDICATORIA.

Venetijs excusum esse constat: sed nomen autoris me fugit: Et spero itaque hunc meum laborem uel conatum pijs probatum iri, tyronibus etiam adhuc in studio Sacrarum literarum profuturum, tandemque uicinos meos, qui praesunt Ecclesijs hoc nostrum exemplum esse imitatu-  
ros. Hanc uero meam expositionem, siue haec scholia, in paruum Catechismum Lutheri, cum multi docti uiri apud me precibus instarent ut in publicum darem, in testimonium meae erga uos obedientiae, simul ac amoris erga studiosam iuuentutem, uobis quos ueram & CHRISTIANAM religionem amplecti scio dedicare uolui, Viri prudentes & pii, enixe rogans, dignemini pro singulari uestro amore erga studia pietatis, & multa erga me beneuolentia uestra, hoc munus quantumlibet exiguum beneuolo animo à me accipere: Hocque exemplo Diogenis, qui aquae poculum arcto charitatis

EPISTOLA.

ritatis obsequio exhibitum maluit,  
quam Croesi diuitias corde lento. Va  
lete atque saluete, Viri humanissimi.

Data Calbis ad Salam, ex ædibus

Parochianis. Anno M. D. L. I.

In die Natali S. Ioannis

Baptistæ præcur-

foris Domi-

ni.

Vestræ Prudentiæ  
deditissimus

M. Leonardus Ia-  
cobi Northusianus,  
Ecclesiæ Calbiensis  
Pastor.

Candido



# CANDIDO

LECTORI HEINRICVS

Brentius Scholæ Calbiensis

moderator, S.



ACROsanctum DEI uerbum nobis traditum, plurimisq; testimonijs confirmatum, perspicue nos docet, homines conditos esse ut Deum agnoscant, glorificent, colant ac inuocent. Nos igitur posthabitis omnibus alijs rebus, debere primum in hoc incumbere ob quod creati sumus, nimirum, ut ad ueram Dei noticiam, eiusq; diuinam erganos uoluntatem perueniamus, neminem spero tam frigidi cerebri fore ( nisi plane <sup>ad eos</sup> sit) ut inficias eat. Cum uero ex nostræ rationis iudicio Deum non satis agnoscere, multo minus quomodo erga nos ille affectus sit, & in quem finem nos crearit, scire queamus, sed horum omnium plenam ex uerbo Dei diuinitus promulgato cognitionem hauriamus, perquam necessarium est, ut homines summa cura, diligentia, & fide de illo doceantur, seq; diebus ac noctibus in illo exercitent, quemadmodum etiam D. Paulus Colossenses suos cap. 3. fideliter admonet inquit: Sermo Christi inhabitet in uobis opulente cū omni sapientia. Quasi dicat.

AD LECTOREM.

dicat. Verbum Christi docentis ea quæ per-  
tinent ad ueram pietatem, exuberanter ha-  
bitet, ac perseueret in uobis, ut in hoc pluri-  
mum sapiatis, adeo ut non solum ipsi scire  
possitis quid Christo placeat, quid non, ue-  
rum etiam alius alium uicissim docere, & si  
quis erret, id quod est humanum, commo-  
nefacere, inq̄ rectam uiam reducere. Sed  
quam sit necesse homines in primis statim  
annis ad Christianæ pietatis amorem dili-  
genter assuefieri, hoc est, doceri de uero  
Deo, de diuina eius erga nos uolūate, de na-  
turæ nostræ imbecillitate eiusq̄ causa, de pec-  
catorum remissione, de sempiternæ uitæ do-  
natione, de uero Sacramentorum usu, deni-  
que de omnibus illis, quæ ad Christianis-  
mum spectant, ipsa experientia satis indicat.  
Vnde enim inter homines tantus Dei, & di-  
uini uerbi contemptus? unde tantum uirtu-  
tis fastidiū? unde tam ingens scelerum pela-  
gus? ut sunt, homicidia, furta, stupra, helua-  
tiones, periuria, detractiones, et id genus in-  
numera peccata, propter quæ Deus cogi-  
tur a nobis supplicium sumere. Profecto  
hæc omnia magna ex parte inde profluunt,  
primo quia aliqui parentes parum curæ &  
diligentiæ adhibent in educandis liberis, non  
assuefaciunt eos in tenera ætate (qua in om-  
nem fingentis habitum, ueluti cera mollis,  
sunt sequaces atque obsecundantes) ad pie-  
tatem,

AD LECTOREM.

tatem, nec erudiunt eos in uerbo Dei, quod  
tamen præcipuum est officium parentum.  
Nam ob hanc causam Deus matrimonium  
instituit, ut in illo soboles procreetur, per  
quam gloria Dei innotescat et conseruetur.  
Hinc & Moses Deutero, cap. 32. Israelitas pie  
monet ut suis filijs uerbum Dei sedulo incul-  
cent, eosq; iuxta id uitæ cursum dirigere co-  
gant. Sic & Apostolus ait ad Ephes, cap. 6. E-  
ducate filios in disciplina ac doctrina domi-  
ni: Vbi parentes non tantum admonet, ut  
prauas filiorum cupiditates laboribus, stu-  
dijs, & pœnis frenent, sed etiam externæ illi  
disciplinæ doctrinam pietatis, cuius magi-  
stra externa disciplina est, ut S. Augustinus  
inquit, adiungant. Quam grauius autem il-  
li parentes, qui negligentes sunt in officio  
educandorum filiorum Deum offendant,  
satis apparet ex scriptura, qua legitur, Deum  
horribiliter hanc negligentiam punisse. Pro  
exemplo est Eli, 1. lib. Samuel. cap. 4. cuius  
uitæ exitus ualde crudelis fuit, ideo quod  
non suum officium in educatione libero-  
rum præstitisset. Deinde, quod multi homi-  
nes adeo abhorreant a uera pietate & reli-  
quis uirtutibus, interdum quoq; in causa  
sunt hi quibus munus informandi pueri-  
tiam iniunctum est, cum uidelicet suo mu-  
neri negligenter præsumunt, & teneris discipu-  
lorum animis non statim simul inter alia,  
B prius-

AD LECTOREM.

priusquam malis cupiditatibus occupemur, ueræ pietatis elementa tradunt, eosque rudibus illis annis ad amorem uirtutum propositis pulcherrimis exemplis non alliciunt. Quales sunt qui non amore iuuandæ adolescentiæ, sed potius uentris gratia scholastica munera subeunt, id quod & sæpe accidere in alijs officijs uidemus, sed tales γασέρες & Reipub. & Ecclesiæ non parum obsunt. Quare candide Lector, cum & mihi gubernacula Scholæ Calbiensis sint commissa, ne in administranda hac prouincia mea negligens uidear, non tantum pueris meæ fidei commissis, Ethnicos libros ad comparandam equidem orationis elegantiam & formandos mores maxime conducentes, proponendos esse iudicaui, uerum etiam tales, per quos ad ueram Christianæ doctrinæ cognitionem duci possint. Porro cum satis constet initio pueris Christianæ religionis præcipua capita breuissime esse tradenda & explicanda, quæ prima puerilis institutio Græcis κατήχησις dicitur, & ab Apostolis Originem ducit, cumque Venerandus D. Magister Leonhardus Iacobi, uir probatæ eruditionis & pietatis, nostræque Ecclesiæ Pastor Vigilantissimus, ante biennium rogatu prudentissimi Senatus nostræ Ciuitatis, Reuerendî patris D. Martini Lutheri piæ memoriæ, Paruum Catechismum, qui prima ueræ

AD LECTOREM.

ueræ religionis elementa seu pro gymnaf-  
mata complectitur optimis ac breuibus Χο-  
λίοις, tam ex sanctis Biblijs, quam Patrum  
lucubrationibus collectis, illustrasset, atq;  
nostræ Scholæ Alumnis dictasset & expo-  
suisset, egi cum illo Doctissimo Viro, nec  
non alijs plures mecum, ut hunc Catechis-  
mum D. Lutheri fœlicis memoriæ, frugife-  
ris & succinctis interpretationibus elucida-  
tum, in usum nostræ iuuentutis prælo com-  
mitteret, idq; tandem obtinuimus. En ha-  
bes optime Lector quo animo hic Libellus  
in lucem sit æditus: Tu sicuti decet, eum in-  
ter alios, in hunc usum ab Eruditis pie con-  
scriptos, placida mente accipe, & lege,  
ac studentes iuuentuti prodesse,  
fauore complecti ne cessa,

Vale. Calbiæ ex ludo  
literario 5. die  
Iulij.



B 2

De-

# DECEMPRÆ CEPTA.

I.

Non habebis Deos alienos.

II.

Non assumes nomen Domini Dei  
tui in uanum.

III.

Memento ut diem Sabbati sancti-  
fices.

IIII.

Honora Patrem & Matrem, ut sis  
longæuus super terram.

V.

Non occides.

VI.

Non mœchaberis.

VII.

Non furtum facies.

VIII.

Non loqueris contra proximum  
tuum falsum testimonium.

IX.

IX.

Non concupisces Domum proxi-  
mi tui. X.

Nec desiderabis uxorem eius, non  
seruum, non ancillam, non bouem,  
non asinum, nec omnia quæ illius  
sunt.

SYMBOLVM.



Redo in Deum Patrem  
omnipotentem, Creato-  
rem cœli & terræ. Et in  
Ihesum Christum Filium  
eius unicum, Dominum  
nostrum, Qui conceptus est de Spi-  
ritu sancto, Natus ex Maria Virgine,  
passus sub Pontio Pilato, crucifixus,  
mortuus & sepultus, Descendit ad  
inferna, tertia die resurrexit à mor-  
tuis, Ascendit ad cœlos sedet ad  
dexteram DE I Patris omnipoten-  
tis, Inde uenturus est iudicare uiuos  
& mortuos Credo in Spiritum san-  
ctum

ctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Et uitam eternam, Amen.

## ORATIO DOMINICA.



Pater noster qui es in caelis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua, sicut in caelo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo, Amen.

## DE SACRAMENTO BAPTISMI.

EVntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij,



Filiū, & Spiritus Sancti. Qui crediderit & Baptizatus fuerit, saluus erit: Qui uero non crediderit, condemnabitur.

## DE SACRAMENTO ALTARIS.

**D**ominus noster Iesus Christus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquam cenauit, accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic calix Nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

Hoc facite quotiescunque biberitis in  
mei commemorationem.

B 4 Quod

**QVOPACTO PAE  
DAGOGI SVOS PVEROS DE**

ccm Pręcepta simplicissime doce-  
re debeant.

## I.

**Non habebis Deos alienos coram  
me.**

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Debemus Deum super omnia timere, dilige-  
re, & illi confidere.*

## II.

**Non assumes nomen Domini Dei  
tui in uanum.**

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Debemus Deum timere & diligere, ut ne  
per nomen eius maledicamus, iuremus, in-  
cantemus, mentiamur, aut dolis fallamus, Sed  
in omni necessitate illud inuocemus, adoremus,  
& cum gratiarum actione laudemus.*

## III.

**Memento ut diem Sabbati sancti  
fices**

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Debemus Deum timere & diligere, ne diuis  
nos*

D. MARTINI LVTH. 6

nos sermones, eius uerbum contemnamus: Sed ut sanctum reputemus, libenter audiamus & discamus.

III.

Honora Patrem & Matrem, ut sis longæuus super terram.

Quid hoc sibi uult? Responſio.

Debemus Deum diligere, ne parentes, & dominos nostros contemnamus, neq; ad iram commoueamus: Sed honore afficiamus, illis seruiamus, morem geramus, amore eos prosequamur, & magnificiamus.

V.

Non occides.

Quid hoc sibi uult? Responſio.

Debemus Deum timere & diligere, ne uitæ proximi nostri incommodemus, aut ægre faciamus: Sed illum adiuuemus & promoueamus in omnibus uitæ necessitatibus.

VI.

Non mœchaberis.

Quid hoc sibi uult? Responſio.

Debemus Deum timere & diligere, ut caste & pudice uiuamus in uerbis ac operibus, ut unusquisque suam coniugem amet, honoret.

B 5

VII.

PARVVS CATECHIS.

VII.

Non furtum facies.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximo suam pecuniam, aut bona sua auferamus, neq; falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus: Sed demus operam, ut illius opes conseruentur, & eius conditio melior reddatur.

VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne proximum falsis mendacijs inuoluamus, prodamus, traducamus, aut infamia aliqua afficiamus: Sed illum excusamus, aliquid boni de eo loquamur, omnia in meliorem partem interpretantes.

IX.

Non concupisces domum proximi tui.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Debemus Deum timere & diligere, ne hereditatem uel domum proximi dolo malo captemus, & sub specie recti, nostris facultatibus adiungamus.

*iungamus, sed detur opera sedulo, ut ista proximo diligenter custodiantur.*

X.

Nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Debemus Deum timere & diligere, ne à proximo, uxorem, seruos, ancillas uel pecudes suas abalienemus aut abstrahamus: Sed illos adhortari oportet, ut maneant, & suum officium diligenter faciant.*

Quid autem summam dicit Deus de his præceptis omnibus?

Responsio. Sic dicit Exod. 20.

Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, uisitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in multa millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Deus

Deus minatur pœnam omnibus, qui ista præcepta transgrediuntur. Debemus itaq; expauescere & timere iram Dei, & nihil contra huiusmodi præcepta facere. Rursus promittit etiam suam gratiam, & omnia bona omnibus qui mandata obseruant. Merito igitur debemus nos Deum diligere & illi confidere, & iuxta mandata eius omnem nostram uitam sedulo & diligenter instituire.

## QVO PACTO PÆDAGOGI SVOS PVEROS

Symbolum Apostolicum simplicissime docere debeant.

### ARTICVLVS PRIMVS

De Creatione.

**C**redo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Quid hoc sibi uult? Responso.

Credo quod Deus creauit me una cum omnibus creaturis: Quod corpus & animam, oculos, aures, & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentat, Ad hæc, quod uestes, & calceos, cibum ac potum, domum, uxorem, liberos, agros, iumenta, & omnia

nia bona, cum omnibus uitae necessarijs, copiose et quotidie largitur, me contra omnia pericula protegit, & ab omnibus malis liberat ac custodit: Et haec omnia ex mera sua paterna ac diuina bonitate & misericordia, sine ullis meis meritis, aut ulla dignitate: Pro quibus omnibus, illi gratias agere, pleno ore laudem tribuere, inseruire, obsequi merito debeo. Hoc certissime uerum est.

*Handwritten notes in Latin:*  
Hic dicitur  
de propositis  
de obsequijs  
de offiij  
de seruicio  
de laude  
de salute  
de gratia

ARTICVLVS SECVNDVS

De Redemptione.

Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferna, tertie die resurrexit a mortuis. Ascendit ad caelos, Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

*Handwritten notes in Latin:*  
de liberatione  
de uinculo  
de inferis  
de resurrectione  
de ascensione  
de seditione  
de iudicio

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Credo quod Iesus Christus uerus Deus, a Patre ante secula genitus, idemq; uerus homo, natus ex  
tus ex







ra, uocare, congregare, illuminare, sanctifica-  
re, & in Iesu Christo per rectam unicam fidem  
conseruare, In qua Ecclesia, mihi & omnibus  
Christianis omnia peccata quotidie benigne re-  
mittit, et nos omnes in extremo die à morte sus-  
citabit, mihi & omnibus in Christum credenti-  
bus uitam æternam daturus. Hoc certissime ue-  
rum est.

## QVO PACTO PAE- DAGOGI SVOS PVEROS

Orationem Dominicam simpli-  
cissime docere debeant.

### PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Nomen Dei per se quidem sanctum est: Ve-  
rum nos oramus hac petitione, ut apud nos quo-  
que sanctificetur.

Qua ratione fit istuc? Responsio.

Cum uerbum Dei pure & sincere docetur,  
& nos secundum illud, ut filios Dei decet, pie ui-  
uimus, in quo adiuua nos, mi Pater qui es in cœ-  
lis. Qui uero aliter docet, uel uiuit, quam uer-  
bum Dei docet, ille nomen Dei inter nos pro-  
phanat. Ne autem hoc accidat, tu prouide mi  
Pater cœlestis.

Secunda

*Handwritten Latin notes in cursive script, likely a marginal gloss or commentary.*

## SECUNDA PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Regnum Dei uenit etiam per se sine nostra oratione, Sed petimus hac petitione, ut ad nos quoque perueniat.

Qua ratione fit istuc? Responsio.

Cum Pater cœlestis dat nobis suum sanctum Spiritum, ut suo sancto uerbo, per suam gratiam credamus, ac pie, hic temporalem, illic æternam uitam agamus.

## TERTIA PETITIO.

Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Bona ac misericors Dei uoluntas fit quoque sine nostra oratione, sed rogamus hac petitione, ut etiam fiat apud nos in cordibus nostris.

Qua oratione fit istuc? Responsio.

Cum Deus frangit atque impedit omne malum consilium & uoluntatem, quæ nobis nomen Dei non sanctificant, regnumque eius ad nos peruenire non sinunt, ut est Diabolus, mundi & car-

*carnis nostræ uoluntas: Deinde cum confortat  
& conseruat nos firmiter in suo uerbo & fide,  
usq; ad finem uitæ nostræ, hæc est sua miseri=  
cors ac bona uoluntas.*

QVARTA PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da  
nobis hodie.

Quid hoc sibi uult? Responſio.

*Deus dat quidem omnibus panem quotidia=  
num, quamuis non petamus, etiam malis homini=  
bus: Et nos precamur hac petitione, ut cognos=  
camus hoc, atq; ita panem nostrum quotidia=  
num cum gratiarum actione accipiamus.*

Quid autem significat panis quotidia=  
nus? Responſio.

*Significat omne, quod ad uitæ nostræ neces=  
sitatem ac sustentationem pertinet, uelut ci=  
bum, potum, uestes, calceos, domum, aream,  
agros, pecudes, pecuniam, diuitias, probam con=  
iugem, probos liberos, probos seruos, probum  
ac fidum magistratum, bonum Reip. statum,  
commodam aëris temperiem, pacem, sanitatem,  
modestiam, honorem, bonos amicos, fidos uici=  
nos, & id genus alia.*

QVINTA PETITIO.

Et dimitte nobis debita nostra.

C

Quid

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Petimus hac prece, ne Pater cœlestis uelit spectare peccata nostra, atq; ita istorum remissionem nobis denegare. Quandoquidem nullis rebus, quas petimus, digni sumus, nec quicquã mereri possumus, Sed ut uelit nobis sua gratia largiri omnia. Quia quotidie multifariam peccamus, & nihil nisi pœnam meremur. Tunc nos quidem uicissim ex corde condonabimus ijs, à quibus in nos peccatum est, illisq; libenter beneficiemus.*

#### SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Deus quidem neminem tentat, Sed tamen petimus hac petitione, ut ipse nos custodiat & conseruet, ne Satanas, mundus & caro nostra nobis imponant, & nos à recta fide ad superstitionem, desperationem, atq; alia grauias scelera & flagitia seducant, & ut maxime eiusmodi tentationibus sollicitemur, ne succumbamus, sed ut tandem uincamus ac triumphemus.*

#### SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

Quid hoc sibi uult? Responsio.

*Oramus*

Oramus hac prece tanquam summam, ut Pater noster qui in caelo est, liberet nos ab omnibus malis ac periculis, corporis & animæ, bonorum & honorum. Et ut tandem cum hora mortis uenerit, fœlicem uitæ exitum largiatur, nosque pro sua gratuita bonitate ex hac miseriarum ualle ad se in caelum recipiat.

**A M E N.**

Quid hoc sibi uult? Responsio.

Vt ego sim certus, eiusmodi petitiones à Patre nostro cœlesti esse acceptas atq; exauditas: Quia ipse nobis mandauit, ut ad istum modum oremus, promisitq; se nos exauditurum esse, Amen, Amen, id quod significat, certe, certe, hæc debent ita euenire.

**Q V O P A C T O P A E  
D A G O G I S V O S P V E R O S**

Sacramentum Baptismi simplicissimi  
me docere debeant.

**P R I M V M.**

• Quid est Baptismus? Responsio.

Baptismus non est simpliciter aqua, sed quæ sit diuino mandato inclusa, & uerbo Dei comprehensa.

Quod est igitur tale uerbum Dei?

Responsio.

C 2

Vbi

*Vbi Dominus noster Iesus Christus dicit  
Matthæi ultimo:*

**E**Vntes docete omnes gentes, Ba-  
ptizantes eos in nomine Patris, &  
Filij, & Spiritus Sancti.

SECUNDVM.

Quid præstat aut confert Baptismus?  
Responsio.

*Operatur condonationẽ peccatorum, liberat  
à morte, à diabolo, et donat æternam beatitudi-  
nem, omnibus qui credunt hoc, quod uerba &  
promissiones diuinæ pollicentur.*

Quæ sunt illa uerba & promissiones  
diuinæ? Responsio.

*Vbi Dominus noster Iesus Christus dicit,  
Marci ultimo:*

Qui crediderit & Baptizatus fue-  
rit, saluus erit: Qui uero non credi-  
derit, condemnabitur.

TERTIVM.

Qui potest aqua tam magnas res efficere?  
Responsio.

*Aqua procul dubio non efficit: Sed uerbum  
Dei iuxta aquam et una cum aqua, & fides, quæ  
tali uerbo Dei in aqua credit. Quia aqua sine  
uer*

uerbo Dei, est simpliciter aqua & non Baptis-  
mus: Sed si uerbum Dei adijcitur, est Baptis-  
mus, hoc est, salutaris aqua uitæ, & lauacrum  
regenerationis in Spiritu sancto, sicut Paulus  
ait ad Tit. 3.

Sed secundum suam misericordiam saluos  
nos fecit, per lauacrum regenerationis, ac reno-  
uationis Spiritus sancti, quem effudit in nos o-  
pulente, per Iesum Christum seruatorem no-  
strum, ut iustificati illius gratia, hæredes effice-  
remur (iuxta spem) uitæ æternæ, indubitatus  
sermo.

#### QVARTVM.

Quid significat autem ista in aquam  
immerlio? Responsio.

Significat quod uetus Adam debet subinde  
per mortificationem ac pœnitentiam in nobis  
submergi & extinguui, cum omnibus peccatis et  
malis concupiscentijs, atq; rursus quotidie emer-  
gere ac resurgere nouus homo, qui in sanctita-  
te & iustitia coram Deo uiuat in æternum.

Vbi hoc scriptum est? Responsio.

Sanctus Paulus ad Roma. 6. dicit, Sepulti i-  
gitur sumus una cum Christo per Baptismum  
in mortem, ut quemadmodum excitatus est Chri-  
stus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos  
in nouitate uitæ ambulemus.

QVO PACTO PAE  
DAGOGI SVOS PVEROS

breuem confitendi rationem  
simplicissime docere  
debeant.

Reuerende & chare Domine, per ego te  
Deum oro, da mihi ad animæ meæ consolatio-  
nem fidele consilium.

Quidnam Consilij expetis? Responsio.

Ego miser homo confiteor & conqueror ti-  
bi, coram Deo Domino meo, quod sum multo-  
rum peccatorum reus, atq; adeo nullis non ini-  
quitatibus obnoxius, Mandata Dei non seruo:  
Euangelicæ doctrinæ non uere credo: Nihil bo-  
ni facio: Mala & aduersa non patienter fero.  
Præcipue autem perpetravi hoc uel illud, quod  
conscientiam meam grauat. Quapropter qua-  
eso, dic mihi, loco Dei, peccatorum meorum so-  
lutionem, & consolare me uerbo Dei.

Alia confitendi forma.

Ego libere confitendo, tanquam miser pec-  
cator, accuso me coram Deo & apud te, quod  
omnibus peccatis & incredulitatis, blasphemiae  
Dei, plenus sum. Sentio enim uerbum Dei nul-  
lum in me facere fructum, illud quidem saepe au-  
dio, sed ex corde ac serio non amplector. Dein-  
de



de charitatis officia erga proximum non exerceo, Irascor & inuideo illi, ipsum odio prosequens: Sum impatiens, auarus, & ad omne malum propensus. Quamobrem cor meum & conscientia mea ualde grauata sunt, libenterq; ab eiusmodi peccatis liberarer. Obsecro ut uelis paruam fidem meam confirmare, & territam meam conscientiam per uerbum Dei atq; promissionem consolari & erigere.

Cur uis Sacramentum Altaris  
sumere?

Propterea quod uolo animam meam ex æquo Dei uerbo atq; signo confirmare, & ita peccatorum meorum gratiam consequi.

Tamen in Confessione consequeris  
remissionem peccatorum.

Responsio.

Quid tum postea. Ego uolo etiam Sacramentum nobis à Christo tanquam signum gratiæ relictum, simul cum uerbo sumere, Atq; ita uerbum Dei subinde accipere: Quo enim sæpius, hoc melius.

**QVO PACTO PÆDAGOGI SVOS PVEROS**

Sacramentum Altaris simplicissimi  
me docere debeant.

C 4

Quid

Quid est Sacramentum Altaris?

Responsio.

*Sacramentum Altaris est uerum corpus & uerus sanguis Domini nostri Iesu Christi, sub pane & uino, nobis Christianis ad manducandum & bibendum, ab ipso Christo institutum.*

Vbi hoc scriptum est? Responsio.

*Sic scribunt sancti Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, & sanctus Paulus.*

**D**ominus noster Iesus Christus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquam cenauit, accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic calix Nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

*Quid*

Quid uero prodest sic commedisse &  
bibisse? Responsio.

Id indicat nobis hæc uerba, PRO VOBIS  
DATVR & effunditur in remissionem pecca-  
torum. Nempe quod nobis in Sacramento con-  
donatio peccatorum, uita & iusticia per hæc  
uerba tribuuntur: Vbi enim remissio peccato-  
rum est, ibi est & uita & iusticia.

Qui potest corporalis manducatio tam  
magnum quid efficere?  
Responsio.

Manducare ac bibere equidem non efficiunt,  
sed illa uerba, quæ hic stant, PRO VOBIS  
DATVR ET EFFVNDITVR in re-  
missionem peccatorum: Quæ uerba sunt circa  
corporalem huius cibi ac potus participatio-  
nem, tanquam caput & summa in Sacramento.  
Et qui fedit his uerbis, ille habet, quod dicunt ac  
sonant, nempe Remissionem peccatorum.

Quis autem utitur hoc Sacramento  
digne? Responsio.

Ieiunare, & corpus suum præparare, est  
quidem bona & externa disciplina: At ille est  
uere dignus ac probe paratus, qui habet fidem  
in hæc uerba, PRO VOBIS DATVR  
ET EFFVNDITVR in remissionem pec-

*catorum. Qui uero his uerbis non credit, aut dubitat, ille est indignus ac imparatus. Quia hoc uerbum, PRO VOBIS, requirit omnino corda credentia.*

## QVO PACTO PAE DAGOGI SVOS PVEROS

formam Benedictionis, unam mane, alteram uesperis dicendam, simplicissime docere debeant.

*Mane cum surgis e lecto, signabis te signo sanctae Crucis, dicens,*

*In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, Amen.*

Deinde innitens genibus uel stans, dicas Symbolum & orationem Dominicam: Si uis, potes & hanc preculam addere.

*Gratias ago tibi mi Pater caelestis, per Iesum Christum filium tuum dilectum, quod me hac nocte ab omnibus incommodis ac periculis conseruasti, Oro te ut uelis me hac die quoq; conseruare a peccato & omnibus malis, ut tibi omnia mea facta, atq; adeo tota uita bene placeant: Quia ego me meumq; corpus & animam*

*animam ac omnia in manus tuas committo, tuus sanctus Angelus sit mecum, ne Diabolus ullum ius in me reperiatur.*

Postea alacriter ad tua studia accedendum.

*Vesperis, cum confers te cubitum, signabis te signo sanctæ Crucis, dicens,*

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

Deinde innitens genibus, uel stans, dicas Symbolum & orationem Dominicam: Si uis, potes & hanc preculam addere.

**G***Ratias ago tibi mi Pater cœlestis per Iesum Christum filium tuum dilectum, quod me hac die gratuita misericordia custodiisti: Oro te, ut uelis mihi condonare omnia peccata mea, quæ iniuste perpetravi, uelisque me hac nocte tua gratia benigne conseruare: Quia ego me, meumq; corpus & animam, ac omnia in manus tuas committo: Tuus sanctus Angelus sit mecum, ne Diabolus ullum ius in me reperiatur, Amen. Atq; ita tandem secure & tranquille dormiendum.*

Quo

**QVO PACTO PAE  
DAGOGI SVOS PVEROS**

Benedictionem Mensæ & Gra-  
tiarum actionem, simpli-  
cissime docere debe-  
ant.

**BENEDICTIO MENSÆ.**

*Pueri debent complicatis manibus, mo-  
destiam præ se ferentes, ante mensam stare  
ac dicere:*

**O**Culi omnium in te sperant Do-  
mine, & tu das escam illorum in  
tempore oportuno.

Aperis tu manum tuam, & imples  
omne animal benedictione.

**Scholia.**

*Benedictio, significat hic, quod omne ani-  
mal tantum cibi nanciscitur, ut propterea sit  
letum & hilari animo. Nam curæ & auaritia  
talem benedictionem impediunt.*

Deinde Orationem Dominicam cum  
oratione sequenti.

Domine Deus pater cœlestis, be-  
nedic nos, & hæc dona, quæ de tua  
lar-

largitate sumimus, per Christum Dominum nostrum, Amen.

GRATIARVM ACTIO.

Sic quoq; post cibum sumptum, debent ad eundem modum modeste, complicatis manibus dicere:

**C**onfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni: Qui dat iumentis escam ipso-  
rum, & pullis ~~Coruorum~~ inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neque in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Deinde Orationem Dominicam cum Oratione sequenti:

Gratias agimus tibi Domine Deus Pater, per Iesum Christum Dominum nostrum, pro uniuersis beneficijs tuis, qui uiuis & regnas in secula seculorum, Amen.

Elegantes

*Handwritten Latin notes in the right margin:*  
 Qd dicitur in psalms  
 cornu qd dicitur  
 relinquitur pullis  
 pios, et funde pios  
 nisi dicitur in psalms  
 ut in psalms dicitur  
 in manu qd dicitur  
 in manu qd dicitur

Elegantes quædam ex scriptura sententiæ, pro omnibus sanctis ordinibus ac statibus, per quas illi, tanquam propria quadam lectione, sui officij & muneris admonentur.

EPISCOPIS, PARROCHIS,  
& Concionatoribus.

**O**portet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, uigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum, non uinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed æquum: alienum à pugnis: alienum ab auaritia: qui suæ domui bene præsit: qui liberos habeat in subiectione cum omni reuerentia: non nouitium etc.  
1. ad Tim. 3. ad Tit. 1.

QVID DEBEANT AUDI-  
tores Episcopis suis.

**D**ominus ordinauit his qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuere, 1. Corinth. 9. Communicet Doctore in omnibus bonis is qui docetur uerbum, Gala. 6. Qui bene præsent Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in uerbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti, Et dignus est operarius mercede sua. Obedite præpositis uestris et ceditis eis:  
Ipsi



Ipsi enim uigilant, quasi rationem pro animabus uestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit uobis, Ebre. 13.

## DE MAGISTRATIBVS.

**O**Mnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: Quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.

Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Qui autem restiterint, sibiipsis iudicium accipient. Non enim frustra gladium gestat: Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Ad Roma. 13.

## QV ID SVBDITI MAGISTRATIBVS debeant.

**R**eddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Matthæi 22. Roma. 13. Omnis anima potestatibus &c. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: Ideo enim & tributa præstetis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruietes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui honorẽ, honorem: Roma. 13. Adhortor primum omnium fieri

ri obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus, cum omni pietate & grauitate, 1. Timoth. 2. Admone illos, Principibus & potestatibus subditos esse, &c. Tit. 3. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis &c. 1. Petri 2.

## M A R I T I S.

**V**iri similiter cohabitent secundum scientiam, uelut infirmiori uasi muliebri, impartientes honorem, tanquam etiam coheredes gratiæ uitæ, ne interrumpantur preces uestræ 1. Petri 3. Viri diligite uxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas, ad Colloss. 3.

## V X O R I B V S.

**S**imiliter uxores subditæ sitis uestris uiris tanquam Domino: Quemadmodum Sara obediuit Abrahamæ, Dominum illum appellans, cuius factæ estis filiæ dum benefacitis, & non terremini ullo pauore. 1. Petr. 3.

## P A R E N T I B V S.

**P**atres ne prouocetis ad irā liberos uestros, sed educetis eos per eruditionē et correptionē Domini, ad Eph. 6. Li=

## LIBERIS.

**F**ilij, obedite parentibus uestris in domino.  
 Nam id est iustum: Honora Patrem tuum  
 & Matrem, Quod est præceptum primum in  
 promissione, ut bene tibi sit, & sis longæuus in  
 terra, Ad Ephe. 6.

SERVIS, ANCILLIS, MER=

cenarijs, & cæteris ad laborem  
 conductis.

**S**erui obedite ijs, qui Domini sunt iuxta car=

nem, cum timore ac tremore, cum simplicita=

te cordis uestri, tanquam Christo: non ad ocu=

lum seruietes, ueluti hominibus placere stu=

dentes, sed tanquam serui Christi, facientes quæ

uult Deus ex animo cum beneuolentia, seruien=

tes Domino, & non hominibus, illud scientes,

quod unusquisque quod fecerit boni, hoc repor=

tabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber, Ad

Ephef. 6.

PATRIBVS FAMILIAS

& Matribus familias.

**E**T uos Domini eadem facite erga illos, re=

mittentes minas: Scientes quod & uester

ipsorum Dominus est in cælis: Nec Personæ

respectus est apud illum, Ad Ephef. 6.

D

Com=

## COMMVNI IVENTVTI.

**S**imiliter iuniores subditi estote Senioribus:  
Sic ut omnes, alius alij uicissim subiiciamini.  
Humilitatem animi uobis infixam habete. Pro-  
pterea, quod Deus superbis resistit, humilibus  
autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub po-  
tenti manu Dei, ut uos exaltet, cum erit oportu-  
num. 1. Petri 5.

## VIDVIS.

**P**orro, quæ uera uidua est ac desolata, spe-  
rat in Deo, & perseuerat in obsecrationi-  
bus ac precationibus noctu dieq;. Porro quæ in  
delicijs uersatur, ea uiuens mortua est. 1. Ti-  
moth. 5.

## OMNIBVS IN COMMVNE.

**D**ilige proximum tuum sicut teipsum, in  
hoc sermone omnia præcepta summas-  
tim compræhenduntur, ad Roma. 2.

Et ante omnia fiant deprecationes, obsecra-  
tiones, interpellationes, gratiarum actiones,  
pro omnibus hominibus, &c. 1. Timoth. 2.

Cuiq; sit imprimis magnæ sua lectio cura,  
Vt domus officijs stet bene recta suis.

Ein ieder lern sein Lektion,  
So wirt es wol im hause stan.

DE

# DE DECEM PRAECEPTIS.



**I**N traditione Decem praepcepto-  
rum Dei duo praecipue sunt ob-  
seruanda. Primum, ut discamus  
quomodo seruiendum sit Deo,  
& quae bona opera sint facien-  
da, quae etiam mala fugienda. Secundum, ut  
inde quoque excitetur peccati cognitio, teste A-  
postolo, Rom. 3. ut ita deducamur ad Christum,  
quaerentes liberationem à peccatis & horum  
supplicijs, hoc est, Lex facit cognoscere pecca-  
tum, sed Christus sanat per fidem, & reducit  
in gratiam Dei.

Diuisa autem sunt, & digito Dei scripta in  
duas tabulas: quarum prior tria praepcepta conti-  
net, quae docent, quid Deo debeamus, cogitatio-  
ne, uerbo & opere. Posterior autem septem  
continet, & illa docent, quid proximo debeat  
mus cogitatione, uerbo & opere.

Proinde nobis etiam in fide Iesu Christi iusti-  
ficatis, necessaria sunt praepcepta Dei, non ut ijs  
aut eorum operibus iustificemur, sed quum hic  
primitias spiritus tantum habeamus, docente  
Apostolo, Romano. 8. & cum uocemur iusti,

*Prima Tabula  
quid*

*2da Tabula  
deum*

ut sciamus quoq; quare ratione Spiritus nostram carnem crucifigat, & dirigat in rebus huius uitae, ne scilicet caro insolescat, & ruptis frenis, ut ille ait, sefforem, nempe fidei spiritum excutiat: Non enim equiti, sed equo debetur frenum.

Errant itaq; qui uolunt Decalogum in Christianismo non esse obseruandum. Decalogus enim exponit legem naturae, & est idem cum lege naturae: praeterea, quia diuino & singulari quodam ordine uerum Dei cultum atq; opera uera proponit: Quare conuenit eum seruare, non propter Mosen, sed propter mutuum consensum legis naturae & decalogi.

Est autem Lex naturae noticia quaedam legis diuinae, hominis naturae à Deo indita atq; insculpta, ad cognoscendum Deum, & proximum diligendum instituta, ut seruetur occasio religionis in animis hominum, et publica & communis hominum inter se pax & tranquillitas.

Denum quod utilissima & saluberrima Decalogi meditatio sit, diserte hoc docet praecipitor noster Philippus Melanchthon, in Locis suis Theologicis, de expositione Decalogi.

#### DE PRIMO PRAECEPTO.

**P**Rimum praecipit, docente eodem, praecipit de eo opere, quod summum est atq; praecipit

praecipuum, uidelicet, de uera noticia Dei, de uera et perfecta obedientia erga Deum, de perfecto timore, fiducia & dilectione Dei. *Deus inuisibilis* ~~Etsi uero Deus inuisibilis est, tamen mens humana agnoscit hunc uerum esse Deum, qui se in suo uerbo & testimonijs admirandis patefecit, et ostendit, quomodo uelit coli: ita enim ait, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: quibus uerbis se profitetur nostrum esse Deum, id est, qui nos curat, respicit, iudicat, defendit & punit. Cum enim minatur se uisitaturum iniquitatem, timorem requirit: Cum uero promittit se defensurum nos & saluaturum, requirit fiduciam atque dilectionem.~~

Quapropter cum ipse sit Dominus Deus noster, ipse & non alius, qui ut creauit nos, ita & gubernat quoq; non nostra prudentia aut iusticia, neq; etiam uiribus nostris, & nobis benefaciat, redimatq; à malis, à peccatis, & à damnatione, in cuius manu sunt omnia, & noster est, quantus quantus est, & quantum quantum potest: non igitur habeamus aliquid praeter ipsum in quo confidamus: quod enim quisq; amat, hoc ipsum & pro Deo colit, secundum illud Augustini, Deus meus amor meus: & ut Erasmus inquit, Qui in gratiam uxoris offendit Deum,

Deum abnegavit, & uxorem pro Deo con-  
luit.

Transgressio huius præcepti est, non crede-  
re in Deum, sed in creaturas & sanctos, ab eis  
sperare auxilium, eorum meritis fidere ac inter-  
cessionibus, tentare Deum, proprijs meritis tri-  
buere fidem, sectari superstitiones, adorare I-  
dola, exercere artes magicas, spargere erro-  
res in fide, prauas opiniones de Deo docere &  
tueri, Deum contemnere, impatienter ferre cru-  
cem, dubitare de promissa gratia, id est, non uel-  
le credere Euangelio, in periculis de Dei auxi-  
lio prouidentiaq; dubitare, & tandem planè  
desperare, ut Cain & Iudas.

Pœnæ autem huius sunt, fames, pestis, gla-  
dius, corruptus aër, æneum cœlū, ferrea terra,  
amentia, exilium, & omnes deniq; calamitates,  
quæ in hac uita mortali possunt accidere homi-  
ni. Exempla non desunt.

Seruantibus autem promittuntur multa &  
insignia bona. Pietas enim quæ complectitur ti-  
morem, dilectionē Dei, & fidem siue fidutiam,  
& patientiam quoq; in aduersis, habet promiss-  
siones uitæ præsentis atq; futuræ, 1. Timot. 4.  
Nam qui sibi nullius mali conscius est, & dum  
uiuít letatur, futurorum bonorum pro certiori-  
bus ducens promissa, & in eo sæculo ueram ui-  
cturus est uitam, hæc Theophilactus.

Cum



Cum igitur unus Deus, omnipotens, sempiternus, neq; principium neq; finem habens, immensus, Dominus & creator cœli & terræ, Pater omnium fidelium, uerax & iustus, patiens & misericors, clemens & longanimis sit, qui creat, & creata diligit, regit, conseruat, inuocantes se exaudit, peccata donat & punit, & in summa toti terrarum orbi ex mera gratia, & ob eius nomen, quod est DEVS benefacit, merito itaq; est timendus, diligendus, & fide colendus.

**Timere.** Cum sacra scriptura passim nos doceat et moneat, ut Deum timeamus, Leui. 19. Deut. 6. 1. Reg. 2. 1. Petri 2. & pulchrè quoq; nobis præscribat timoris Dei præconium, Proverbio. 28. Eccles. 1. paucis indicare conuenit, quid sit timor Dei, siue timere Deum.

Est igitur Timere Deum, nil aliud, ac Deum sincerè, sanctè & piè colere, pureq; uenerari, rectè coram Domino conuersari, eiq; seruire: & talis timor est duplex, nempe filialis, quo filius patrem suum dilectum timet, id est, reueretur, de quo timore Ecclesiastes cap. 12. ait, Time Deum & mandata eius obserua: & huiusmodi quidem timore cum amore coniuncto, quem rectè reuerentiam appellamus, olim sancti Patres Deum coluerunt, id est, cordis fiduciam in

*Timor Dni  
plex  
Timor fili  
alis*

*Timor & ser-  
uili*

illum collocauerunt. Est & Timor seruilis, id est, timor pœnæ, de quo legimus 1. Ioannis 4. Timor habet pœnam, id est, adfligit & cruciat, & is timor est malus: nam quatenus timetur pœna, Deus habetur odio, quatenus uero amatur Deus, omnis metus abest. De timore filiali, qui nil aliud est præterquam ipsa fides seu cognitio Dei, Prouerb. 9. & 28. Psalmo 110. Loquitur Propheta regius Psalmo 127. dicens: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in uijs eius. De timore seruili, qui est hypocriticus, carnalis, falsus, & simulatus cultus, non dexter, legimus in Exodo cap. 19. Cum Iudei starent ad montem Synai, et audirent tonitrua, fulgura atq; corruscationes, dicebant ad Moysen: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Serui enim timent dominos non ex amore, sed formidine fustis, Vnde natum est illud: Oderunt quæ metuunt: & Quot serui, tot hostes: Pijs Deum timent, quia amant, Impij etiam timent, sed oderunt. Fideles ut Patrem uenerantur & timent, Increduli uelut tyrannum & iudicem fugiunt et metuunt. Virtutis est, quod recti timēt Dominum, increduli uero, nisi aliquam sentirent iram Dei de cœlo, perpetuò non timerēt: Videns hoc poëta gentilis cecinit ita:

Ode

Oderunt peccare boni, uirtutis amore:  
Oderunt peccare mali, formidine poenæ.

Timor Dei multum est utilis, peccatum enim expellit, Ecclesiast. 1. Nam statim cum ingreditur cor hominis, concutitur timore, concussum conuertitur ad Deum, conuersum autem illuminatur, illuminatum credit, credens à sordibus emundatur, Iuxta illud: Per fidem purificantur corda.

Timens Deum perfectè, custodit se diligenter à peccatis, cogitans subinde de præsentia Dei. Est autem timor Dei animæ pædagogus: nam ubi is non est, ibi est dissolutio uitæ, inquit Augustinus sermo. 213. de Tempore.

Diligere. Cum sacra scriptura multis in locis synceram et uehementem dilectionem Dei erga totum humanum genus prædicet atq; extollat, ut Deute. 4. & 7. & 33. Osee 2. 1. Ioan. 4. Ephe. 2. Ioan. 3. dignus est, ut à nobis quoq; uicissim syncerè & ex corde diligatur, Matth. 22. Marci 12. Lucæ 10. Hoc enim maius est omnibus holocaustomatibus: quare sic admonet Iesus Syrach, cap. 13. dicens, Omni uita tua dilige Deum, & inuoca illum in salute tua: & Paulus Roma. 8. Nam mihi persuasum habeo, quod neque mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neque futu-

ra, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Vnde Sedulius Præbyter inquit: Non solum per ea, quæ accidere possunt, sed nec per ea quidem quæ euenire omnino non possunt, ullo pacto à Dei charitate deflectemus. Nam omnia mihi præ illa charitate exigua sunt, dicit Theodulus.

Est autem diligere Deum prorsus donum Dei, quoniam ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit, inquit, D. August. tractatu 102. in 16. caput Euangelij Ioannis.

Confidere. Sacræ literæ docent passim, fidem unicum esse instrumentum, quo Dei misericordiam, aliq; bona omnia apprehendimus. Ambabus itaq; ulnis amplectamur illa, imo nitamur ac fidamus illis, quæ nobis per Spiritum S. de Dei bonitate atq; promissis exhibentur: & propterea Psalmographus beatum illum uirum prædicat, Psalmo 112. Cuius cor paratum est confidere in Domino: & Iesus Syrach cap. 32. inquit, Qui credit Deo, attendit mandatis, & qui confidit in illo, non diminuetur. Est profecto maxima insania, dicit Augustinus ad Macedonium, hominem ærumnosam uitam ducentem, mutabili carni & spiritui confidere, ut quidam

dam faciunt, qui ex diffidentia uerbum Christi loquuntur, uidelicet, ~~Vnde ememus panes, ut manducent hi?~~ Ioann. 6.

DE SECUNDO PRAE-  
CEPTO.

**Q**uoniam diuinæ illius summæq; maiestatis hoc postulat dignitas, ut nō solum de ea magnificè sentiamus, abstinemusq; à simulariorum cultu, qui in scripturis, præsertim Psalmo 113. damnatur, uerumetiam ne uerbo parum reuerente eam debonestemus apud homines, sequitur secundum præceptum, quod uerum usum diuini nominis, religionem, celebrationem diuinorum beneficiorum, & tandem inuocationem auxiliij & benignitatis Dei in aduersis, exigit. Vult enim Deus nostra uoce inuocari. Vetat quoq; ne contaminemus res diuinas uerbis, cultum exteriorum docens, instruensq; os & linguam, ut quod corde credimus, ore quoq; confiteamur, Roma. 10. Cor enim opus habet ministerio oris, ut ait Theophilactus: Quid enim prodesset animo duntaxat credere, nisi in hominum conspectu & uerbis profiteremur quod credimus?

Vtimur autem diuino nomine rectè, ut cum uera prædicamus, nomen Domini confitemur,  
&

et Christum coram hominibus, Matth. 10. Iustificat enim quæ menti insidet fides, perfecta autem salus in confessione uersatur, ex ea namq; et fides splendescit, et plurimos iuuat. Hæc idem. Et cum gratias agimus Deo in omnibus et pro omnibus semper, cumq; serio inuocamus nomen Domini in omni aduersitate, et cum iuramus per nomen Dei, quando gloria Dei, et necessitas proximi hoc postulant.

Abutuntur uero nomine Dei omni laude dignissimo, qui omittunt ueram inuocationem, gratiarum actionem, famæ et gloriæ Dei publicationem, confessionem Catholicæ fidei, uerbiq; synceram prædicationem, et qui sunt Deo ingrati pro suis beneficijs innumerabilibus atq; immensis, et qui inuocant sanctos ut mediatores, cum tamen unus tantum mediator est Dei et hominum, homo Iesus Christus, 1. Timoth. 2. Neq; enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnium teneat potestatem, unus enim omnium Dominus Deus, dicit Cyprianus tractatu 4. de uanitate idolorum. Lege Augustinum in lib. de uera religione, capit. ultimo. Chrysostomum homilia 12. de muliere Chanaanæ. Cyrillum lib. 6. contra Iulianum, et lib. 11. ca. 27. in ca. 17. Euangelij Ioan. Et qui blasphemant nomen Domini, qui deprauant uerbum eius, qui miscent colloquia praua rebus diuinis:

et est certe insigne malum, dicit Erasmus, quod pleriq; ex mala consuetudine tertio quoq; uerbo addunt, per Deum, per mortem, per passionem, per uulnera Christi, per Sacramenta, praesertim cum ludunt aleam, aut Baccho sacrificant uuidi.

Etiam contra hoc praecipuum peccant, qui impios cultus contra uerbum Dei instituunt, retinent & tuentur, peierant, mentiuntur, decipiunt sub praetextu nominis Dei, & qui ex leuitate citra omnem necessitatem per nomen Dei iurant, qui docent quoq; impia, & qui faciunt turpi sua uita nomen Dei inter incredulos & gentes male audire, tandem qui inhoneste & ridicule loquuntur de Deo. Est certe Euangelice pietatis nunquam nominare Deum, aut Christum, aut Spiritum sanctum, temere, seu irreuenter, ne uoces transeant in affectus, affectus in actiones.

Illud uero obseruandum, quod non dixit, non nominabis Deum, sed non assumes nomen Dei, siquidem assumitur, quod ad aliquem usum adhibetur. In uanum itaq; ac temere seu frustra assumitur, quod ad usum prophanum ac uulgarum usurpatur. Nos itaq; Deum, seu Christum aut Spiritum S. nominantes, aut flectamus genua, aut aperiamus caput, aut si neutrum licet, modica capitis inflexione & uultu praenobis feramus

feramus reuerentiam. Comminantur postremo se non insontem habiturum esse illum, qui nomen ipsius usurpauerit uane, hocq; ideo, ut cognoscamus seuerum Dei iudicium in perituros, blasphemos & diuini nominis contemptores, siquidem omnes. Historiæ mundi testantur, tales nunquam euasisse pœnas. Hæc Erasmus.

Maledicamus. Maledici enim non possidebunt regnum Dei, 1. Corinth. 6.

Iuremus. Iuramentorum ratio ita se habet. Non licet homini pio iurare in causa priuata, propria libidine aut leuitate, & sine iusta causa, uerum si ipsa necessitas exegerit iusiurandum, ut uolens confirmare ueritatem, nec alia ratione possit, nisi iureiurando, interponat iuramentum, se non falsa proponere, non peccat. Licebit etiam, si magistratus extorserit ueritatem iureiurando testari. Quare in iuramentis si tua res non agitur, sed stabiliendæ ueritatis gratia, aut in causa proximi urgeris à magistratibus, tibi licebit sine peccato iurare, quando non iuras pectore maligno, ita enim Christum & Apostolos aliquoties iurasse legimus. Iurauit Paulus, sed nõ pro penula aut ere, uerum pro gloria Euangelij, 2. Corinth. 1. & sic iubet Moses iurare per nomen Dei, Deut. 6. ne scilicet ulli rei tribuamus honorem ueritatis, nisi



nisi nomini Domini. Non iubet leuiter & uane iurare quacunq; ex causa, sed urgente magistratu & necessitate exigente, & pro confirmanda ueritate. Deus nanq; est ueritas. Iurant igitur per nomen Domini, qui ueritatem simpliciter & citra dolum testantur, qui non sua quaerunt, non student fallere, sed pronunciant ueritatem: & illa iuramenta non prohibet Christus, Matthæi 5. ubi ait, Ego dico uobis, ne iuretis omnino, hoc tantum prohibet, ne in uanum nomen Dei usurpemus, ne quaeramus nostram gloriam, ne pronunciemus mendacium, fraudemue inferamus, neq; circumueniendi studio deieremus. Proinde iuramenta delata à iudice, uel facta propter uocationem, illa inquam sunt concessa.

Augustinus ita dicit: In nouo testamento dictum est, ne omnino iuremus, quod mihi quidem propterea dictum uidetur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare, & sic non prohibetur per se, sed propter illud, quod inde sequitur, consuetudo nempe & delectatio: nam dum iuramenti usus habetur, de facili periurium incurritur.

Hieronymus, Veritas, inquit, iuramenti est, ubi non aliud sentitur corde, quam quod ore profertur. Ita iurauit Moses, Exod. 2. ut habitaret cum Iethro, & acciperet filiam eius in uxorem,

rem, sic quoq; iuravit Heliseus, non se derelin-  
quere Heliam, donec secum esse posset, 2. Re-  
gum 2.

Est autem Iurare, Deum in testem uocare  
seu adhibere, q. d. iurans, sicut Deus uerax est,  
ita & ego uerum dicere polliceor. Iurans ergo  
falsum, etsi uiuit corpore, tamē anima mortuus  
est, & punitur, inquit Augustinus sermo. 28.  
de uerbis Apostoli. Os enim quod mentitur, oc-  
cidit animam, ut Sapiens dicit.

Iurare in scripturis uariē usurpatur, dici-  
mus enim, Iurare per nomen Domini, quod est  
Deum in testem ac uindicem inuocare, ut di-  
ctum est paulo antē. Iurare Domino, quod  
est sese dedere ac uouere Deo, iuxta illud Psal.  
131. Qui iurauit domino, uotū uouit Deo Iacob.

Iurare in Domino, est perpetuo tenore illi  
per fidem adherere, Iuxta illud Psalmo 62.  
Laudabuntur omnes qui iurant in eo, id est, qui  
cunq; dederint illi nomina, ceu milites Sacra-  
mento adstricti euehentur præconio.

Manichæus putauit in nullo casu iurandum  
esse, motus fortasse uerbis Christi, Matth. 5. di-  
centis, Ne iuretis omnino: & Iacobi 5. Ante om-  
nia autem fratres mei nolite iurare. Sed est hæ-  
resis: Nam scriptura iuramentum Deo tribuit:  
Viuo ego dicit Dominus, & Psalmo 131.

Dauidi

Dauidi Dominus iurauit uoce fideli,  
Nec sua iuratus fallere uerba potest.

Dico ueritatem (Roma. 9.) in Christo Iesu, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. Testis est mihi Deus, Philippen. 1. Nouit Deus quod non mentior, 2. Corinthi. 12. Ita quidem iurare non est illicitum, quia nomen Dei tunc inuocatur, & ueritas eius, & creditur in eum, & propter eum fit pax & concordia iurantium. Quare Rex Zedechias ab Ezechiele & alijs Prophetis acriter est reprehensus, quod non seruauit iuramentum Regi Babylonis, & tandem miserabiliter captus, excæcatus est & punitus. Summa, sicut Deus noster, Deus uerax est, ita uult quoq; populum suum quàm longissimè à uanitate & periurijs abesse, ut se imitemur.

Mentiamur. Christus uocat Diabolum Patrem mendacij, Ioan. 8. Hoc est, mendacium est proles & res propria Diaboli, inquit Theophilactus, & propterea mendaces sunt filij diaboli. Monemur ergo in scripturis, ut fugiamus mendacium, Exod. 23. Non suscipies uocem mendacij, Leuit 19. Non mentiemini, nec decipiet unusquisq; proximum suum, Eccle. 7. Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, & cap. 20. Noli uelle mentiri omne mendacium, assiduitas

E

duitas

duitas enim illius non est bona: potior enim est fur quam assiduitas uiri mendacis, perditionem uero ambo hereditabunt: Psal. 5. testatur Dominum perditurum esse illos, qui loquuntur mendacium:

(agentes  
Omnes namque habuisti odio male semper  
Vindice te mendax lingua coacta tacet.

Quod uero Abraham Genes. 12. & 20. Isaac, Genes. 26. Dauid, 1. Reg. 21. Iudith. 11. atque multi sanctorum hoc crimine mendacii deprehensi, minime perierint, causa est, quod Dominus illis peccata non imputauerit, neque illi hoc animi malicia & uoluptate peccandi admiserint, sed conseruandae uitae suae & suorum gratia. Sic magnum humanitatis ingenium et piuum pro salute mendacium praestiterunt meretrices Hebraeae, Exod. 1. quibus imperatum fuerat a Pharaone rege Aegypti, ut natos masculos Hebraeorum necarent: illae enim Deum timentes, contemnebant edictum Regis, qui insequebatur eos, quos nondum uiderat, & conseruabant mulierum sacraria. Hinc concludit D. Augustinus sermo. 89. de tempore, quod liceat mentiri, sed causa pietatis: Quare Iudith liberandorum suorum ciuium causa, coram Holopherne mentitur, astute itineris sui causam recitans.

Summa, non est homo, qui non peccet, 1. Regum 8. Dominus uero non imputat peccatum, sed

Sed remittit potius, habens nimirum exploratum cor nostrum, quo animo faciamus mala: ipse est qui delet iniquitates nostras, peccatorum nostrorum non recordans amplius, sed perdere solet, qui student prauitati, & cum animi uoluptate mentiuntur.

**Incantemus.** Lex iubet nullos esse incantatores, Deute. 18.

**Dolis fallamus.** Non est inuentus dolus in ore Christi: Quare omnis dolus absit à Christianis, 1. Petr. 2. Non enim est Christianus, qui non imitatur uestigia Christi, dicit Augustinus, Non decet foris simulare amicitiam, & intus inimicitiam occultare. Scriptura beatum hunc uirum prædicat, Psalmo 31. in cuius spiritu non est dolus, id est, hypocrisis seu deceptio: Vnde,

Fœlix cui Dominus uitiū non imputat ullū:

Cuius aperta nihil pectora fraudis habēt.

Nam qui utuntur dolis, imitantur Diabolum, qui ut Magister doli, astutiæ atq; calliditatis, per serpentem seduxit mulierem in Paradyso, Genes. 3.

In septimo & octauo Præceptis Decalogi, omnis dolus omnisq; fraus prohibetur, addita comminatione pœnæ. Et scriptum est, Marci 10. Ne feceris fraudem. Præterea Lex naturæ

hoc postulat, quæ quidem singulorum mentibus  
 insculpta est, Quod tibi nolis fieri, alteri ne fe-  
 ceris. Debemus itaq; loqui ueritatem, & non  
 mendacium, & sermo noster sit, est, est, non,  
 non, Matth. 5. Iacobi 5. Proprie uero dolus  
 est, aliud promere labijs, aliud pectore claudere,  
 teste Augustino, homilia. 1.

Adoremus. Scriptum est enim, Deut. 6.  
 Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli ser-  
 uies. Adorare Deum est illum solenniter cole-  
 re, Ioann. 4. Veri adoratores, id est, cultores  
 Patrem adorabunt, id est, colent in Spiritu &  
 ueritate. Est quippe supra omnes creaturas ado-  
 randus Deus, inuocandus, honorandus, metuen-  
 dus, & ei nemo par diligendus. Zelotes est, non  
 patitur æqualem, ego Dominus, inquit, hoc est,  
 nomen meam, gloriam meam alteri non dabo,  
 Esaie 42.

Adorare hominem est ei exhibere honorem,  
 gratias agere, uenerari, flectere genua, ad oscu-  
 lari, prosternere, sic Abraham adorauit popu-  
 lum terræ, id est, honorauit, gestu seu genicu-  
 latione gratias egit, Gene. 23. Sic & Loth ado-  
 rauit Angelos, id est, incuruauit se ante illos.  
 Gene. 19. Et Magi prostrati adorauerunt pue-  
 rum Iesum, Matth. 2. id est, uenerati sunt, exhi-  
 buerunt ei honorem gestu corporis, inclina-  
 runt

runt sese coram puero. Huic praecepto repugnat diuorum inuocatio: Dicit enim Deus, Inuocame, Psalmo. 49. & inuocatus exaudit, 2. Samuelis 22.

**Laudemus.** Laus nostra quippe Deus, quem laudare debemus confitendo omnia nostra esse ab ipso, sicuti fecit Moses, Deut. 10. ubi populum admonuit ad Dei laudem & gratiarum actionem, dicens: Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi haec magnalia & terribilia, quae uiderunt oculi tui. Psalmista non in uno loco praecipit, ut Dominum laudemus, Et Paulus ad Collos. 3. hortatur nos ad laudem Dei & gratiarum actionem, inquiens: Docete & commonete uos inuicem cantionibus & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde uestro domino, & quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri per illum.

### DE TERTIO PRAECEPTO.

**P**rimum Praeceptum docuit nos, quomodo corde erga Deum adfecti esse debeamus, scilicet, ut illi toto corde fidamus, illum timeamus

mus ac diligamus. Secundum quomodo illum ore colamus, id est, laudemus, prædicemus & confiteamur, & nomine ipsius non abutamur. Tertium docet externum cultum diuinitus institutum, & concionatur præcipue de ministerio docendi, & administrandi ceremonias diuinitus institutas, nempe ut certam de Deo doctrinam habeamus, nec ipsi nouas ceremonias, seu novos cultus fingamus aut excogitemus.

Proinde sanctificatur dies Sabbati, docendo, audiendo, discendo & meditando uerbum Dei serio et attentè, uacando operibus patriæ, nempe hymnis, precatationibus, eleemosynis, alijsq; pijs exercitijs, quæ excitant fidem & charitatem erga Deum, & humanitatem quoq; erga proximum. Est etiam Sanctificare diem Sabbati interesse sacris Christianorum, illorum usum diligenter retinere atq; tueri, Sacramentis à Christo institutis piè uti, obtemperare rectè docentibus, illos alere, defendere, & honore prosequi, castè & sobriè uiuere, studia Ecclesiæ & scholis necessaria iuuare: Visitare etiam infirmos, captiuos consolari, & domi tandem familiam in articulis fidei, & pura Euangelij doctrina fideliter instituere: & hoc est uere diem Sabbati sanctificare, id est, sanctis & pijs operibus transigere, & nullis actionibus Deo indignis prophanare, uti illi faciunt, qui illum



illum diem dant somno, fabulis, inertia, & pias negligunt conciones, quasi ad ipsos non pertineant, Sacramētis partim non utuntur, sed contemnunt, partim ea secus tractant ac Christus instituit, conuiuantur, ludunt, impediunt atque offendunt alios. Verum opera salutis in die Sabbati non sunt omittenda, ut Augustinus docet tractatu 30. in 7. caput Euangelij S. Ioannis, Necessitas quippe excusat, & utilitas proximi: cedendum est enim charitati. Nam benefacere alicui Lex non prohibet, quæ Lex Dei est semper & unicuique beneficientis, inquit Theophilactus. Beatus uir qui custodit Sabbatum, ne polluat illud, Esaie 56. & cap. 58. abstinere à proprijs operibus nostræ uoluntatis, & quiescere in Sabbato.

**Contemnamus.** Cum uerbum Dei sapientia & intelligentia nostra sit, per quod cognoscimus res diuinas & salutare, & discernimus de rebus externis inter homines, Deut. 4. & quod inde petenda sit uiuendi ratio, ut Esaie cap. 8. docet, quo prædicato etiam corda conuertantur, teste Hieremia cap. 23. & quod tandem pereat populus, si uerbum Dei non doceatur, ut Salomon inquit Prouerb. 29. caueamus sedulo, ne istud despectui habeamus, & nos ipsos reddamus participes horribilis pœnæ &

perditionis illius, quam Dominus Deus minatur contemptoribus sui uerbi, Esai. 28. & 30. Deum quippe contemnit, qui eius uerbum contemnit, qui autem Deum contemnunt, erunt ignobiles, 1. Samuel. 2. Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit, dixit Christus discipulis suis, Lucae 10.

Comminantur uero Deus contemnentibus suum uerbum, sese daturum scilicet Prophe-  
tas, qui eos decipiant, cum intra os illorum Prophetarum immiserit spiritum mendacem, 1. Regum 22. Ezechie. 14.

Audiamus. Christus eos Beatos praedicat, qui uerbum Dei audiunt & custodiunt illud, Lucae. 11. Hinc diserte docet D. Augustinus Homilia 45. quomodo uerbum Dei auditum ruminandum sit. Prouenit nimirum ex uerbo Dei originaliter omne bonum. Deus Pater iubet ut dilectus suus filius audiatur: Deus Filius etiam doctrinam suam ubiq; refert ad Patrem. Ioann. 17. dicens, Omnia quae audiui à Patre meo nota uobis feci. Paulus Gala. 1. gloriatur se non didicisse Euangelium suum ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. Micheas fatetur se repletum esse Spiritus sancti efficaciam, iudicio atq; uirtute, ad annunciandum Iacob scelus suum, & Israël peccatum suum, capit. 3.  
Quare

Quare diligenter & libenter audiamus illos, qui docent nos uerbum Dei, cum ipsos audire sit Deum audire: Hocq; monemur 2. Petri 3. his uerbis: Sitis memores uerborum quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & nostri mandati qui sumus Apostoli Domini & seruatoris.

DE QVARTO PRAE-  
CEPTO.

PRima tabula nos docuit, quid Deo præstandum sit: Sequitur nunc altera, quæ docet, quæ officia in homines sint collocanda: illa pulcherrimè distinguit Præceptor noster Philip-  
pus, dicens: Primum sancitur imperium, præcipitur obedientia, Honora Patrem & Matrem. Deinde munitur pax: Non occides. Muniuntur coniugia: Non mœcha-beris. Muniuntur dominia rerum: Non furtum facies. Postea constituuntur Iudicia, & sancitur ueritas in contractibus & pactis: Nō dicas falsum testimonium. Deniq; prohibentur inclinationes, affectus seu opera contra hunc ordinem in duobus ultimis: Non concupisces &c.

Honorare. Primum est agnoscere hanc societatem esse diuinum opus, humano generi

salutare prouidentiae testimonium. Deinde non solum parentes reuereri, alere, omniq; benefici orum genere adficere, pro suis impendijs, molestijs ac laboribus, quos nobis infantibus impenderunt, dum mater fert tædium gestationis, pariendi, munus lactandi & nutriendi, & pro longis curis quoq; quas Pater tolerat suggerens sumptus, & omnem adhibens operam, ut liberi probe & ad pietatem erudiantur: uerum etiam ut uerbi ministris, magistratibus, præceptoribus, et quotquot loco parentum nobis sunt, obediamus.

Honos adhuc plura complectitur, nempe obedientiam, ut eis ex animo tribuamus sapientiam & iusticiam, id est, ut libenter pareamus eorum iudicio & auctoritati, et si interdum quod humanum est, deliquerint siue errarint, ut peramanter & reuerenter condonemus, excusemus & tegamus errata. Parentes namq; ferendi sunt, ut ille ait, etiam iniquiores: præterea, si quid iusserint, modo non impium sit, non aliter ac si de cælo præcipiatur, cum timore ac tremore (latet enim ibi quædam maiestas) accipiamus, acceptum diligenter exequamur, illis quoq; non illudamus, si uel senio, uel alio uitio delirent, & illis tandem nos obiurgantibus, non duriter neq; acerbè respondeamus.

Peccant

Peccant igitur grauitur contra hoc Praeceptum, qui contemnunt magistratus, eorumq; auctoritati resistunt ac iussis, et qui parētibus sunt immorigeri eos laedunt, derelinquunt in necessitate, & qui praëceptoribus ac animarum curato ribus debitam mercedem, debitum honorem, debitam obedientiam recusant ac negant, & qui Dominis ac Patribus familias fraudulenter atq; negligenter seruiunt, & ij dabunt poenas.

Promissio de longæua uita designat multa beneficia & præmia in hac uita, nempe pacem, terræ foecunditatem, bona studia, & alia multa commoda, quæ Deus optimus maximus largiturus est ijs, qui honorant Patrem & Matrem, quorum præcipua sunt, prospera ualetudo, bona fama, honesti liberi, obediēs familia, diuitiæ, splendida domus, & id genus alia.

Illis autem qui hoc Praeceptum transgrediuntur, non impune licebit: pro exemplo sunt, Cain, Cham, Absolon, & horum similes. Oculum eius qui fastidit Patrem (ait Scriptura) & Matris imperium contemnit, Corui iuxta flumen effodient, & uorabunt Aquilæ. Lege 22. cap. Ezechiel.

De honore parentibus præstando ita loquitur D. Augustinus sermo. 96. de tempore dicens: Ad parentes suos homo aperit oculos, & hæc uita ab eorum amicitia sumit exordium. Le  
ge

ge Paulum ad Collossen. 3. & Ephes. 6. ubi monet filios, ut obediant parentibus suis in Domino, id est, si illorum iussa sunt secundum Deum. Nam si ad infidelitatem impegerit Pater, seu velit prostituere filiam, uel liberos inhonestis artibus imbuere, nequaquam à Domino erit huiusmodi imperium.

Alias in opere & sermone, & omni patientia honora Patrem tuum, ut superueniat benedictio à Deo, & est à Deo maledictus, qui exasperat matrem, ut Iesus Syrach inquit, cap. 3.

#### DE QUINTO PRAECEPTO.

**C**Hristus Dominus noster, Matth. 5. hoc praeceptum clarè exponit, docens per istud non solum externas corporum iniurias & uindictam priuatam externam, sed etiam animorum malevolentiam, odia, inuidiam, iram, priuatam uindictæ cupiditatem, conuitia & eiusmodi alia prohibita esse. Non enim sufficit gladium in uiscera proximi non stringere, Verum etiam fratrem non calumniari, non odio habere, non occulta obtrectatione proscindere, & non aliquo signo animi malevolentiam testari: Sed erga omnes esse beneuolum, misericordem, mansuetum, equum, patientem, clementem, facilem,

lem, benignum, mitem, placidum, pium offensionum facile obliuisci, nemini succensere, ultro offerre pacem omnibus, defendere et iuuare eos qui premuntur iniuria, pascere esurientem, uestire nudum, precari bene precantibus male, orare pro persequentibus & calumniantibus, dare mutuum, & alia Christianae pietatis officia, de quibus Christus Matth. 5. & 25. Paulus Roma. 12. loquuntur, exercere. Vnde Theophilactus: Complectamur nos mutua beneuolentia, nexi enim sumus uinculo fraternitatis, & una ex uulua et lauacro procreati: æquum itaq; est, ut ad inuicem amicitiam ineamus, retineamus, anticipemusq; nos officijs alternis, benedictis quoq; prosequamur nobis infensos: & ut inquit Theodulus, Ne ulciscaris te de hoste, neq; maledicta in eum euomas: Vitia odio sunt habenda, non homines, ut creatura Dei. Quare ita dicit Sedulius: Qui sunt perfecti, hoc ipsum quo oderunt crimina, homines amant, & odio habentes in eis illud quod peccant, illud quod Deus creauit amare non desinunt. Qui sese ulciscitur, reddit se ipsum impietatis consortem.

Principes autem siue magistratus contra hoc præceptum non peccant, exercendo iustam & debitam pœnam in homicidas, fures, latrones, adulteros & reliquos huius fecis homines: Sunt enim ministri iræ atq; ultionis Dei non hominum,

minum, exercent enim Dei uindictam, qui ait, Mea est ultio, & ego retribuam. Deut. 32. & illa non modo licita est, & necessaria, pro impiorum publicæq; tranquillitatis conseruatione, uerumetiam pia & bona & sancta est coram Deo.

Homicidium, dicente Erasmo, omnium iniuriarum atrocissima iniuria est: Cuius cause sunt, Ira, Odium, Detractio, Inuidia.

## DE IRA.

**I**Ra peccatum est, cum priuata cupiditate incitati, irascimur: dicit enim Psalmus 4. Irascimini, sed nolite peccare. Ira peccatum non est, cum irascimur propter gloriam Dei, & iusticiæ amorem: & est quidam peculiaris motus & excellens in uiris sanctis, cum inflammantur studio defendendæ gloriæ Dei, aut tuendæ iusticiæ, aut ira aduersus turpitudinem ac impietatem, & talis ira Deo placet: sicq; olim irati sunt Prophetæ, Apostoli, & ipse Christus Dominus noster. Theophilactus ita dicit, Si uideris religionem fidemue offensum iri, obsiste uirili & ingenti animo, pro ueritate tutanda decertans.

Est autem Ira, secundum Erasmus, dolor, flagitans uindictam, aut secundum Augustinum  
homi-



homilia 42. Libido uindictæ: & est duplex,  
Carnis & Spiritus.

Irascitur caro, quæ peccatrix est & immunda, ideo carnalis excandescencia peccatum & mors est. Nam qui sunt in carne Deo placere non possunt, Roma. 8. Et hanc excandescenciam prohibet Christus, & minatur iracundis gehennam.

Irascitur quoq; spiritus, sed secus, nempe ut emendet peccantes, sicut olim sancti Patres ac Prophetæ feruore fidei, et zelo spirituali, teste Theophilacto, & tandem iusta ratione moti in impios succensi sunt: & Christus in Pharisæos, præsertim Matthæi 23. quæ ira correptio melius dicitur. Non enim irascuntur pijs sicut impijs, qui fremunt, strident, insaniunt, & dissecantur in cordibus suis, non ut emendent eos quibus irascuntur, sed ut perdant, iugulent ac opprimant, sicut olim fecerunt Pharisæi & tyranni, & hodie similiter faciunt sacrosancti Euan gelij hostes spirituales atq; seculares.

Ecclesiastes cap. 7. monet, ne quis sit uelox ad irascendum, quia ira in sinu stulti quiescit. Quare si contingit humana fragilitate in iram prolabi, demus operam ne peccemus, ne cedamus carni, ne laxemus frenum, sed cohibeamus, ne in peccatum et nimum furorem effluat ira. Deniq; iræ non debemus locum, ut inquit Aposto-  
stolus

stolus, Roma. 12. & Ephes. 4. Sol non occidat super iracundiam nostram, id est, ira sit breuis, nec differatur in diem crastinum, ne forte indignis appareat illuxisse, neue et nox ignem mente acrius agitando incendat, & insidias paret uel mortem, Hæc Theophilactus. Est enim ira tantum malum, uel Gregorio teste, ut si mentem hominis semel possederit, putet iuste fieri quod secus & male fit, iuxta illud Cathonis:

Impedit ira animum, ne possit cernere uerū.

Quare magnæ prudentiæ est, comprimere iram, ut inquit D. Augustinus.

## DE O D I O.

**O**dium est ira inueterata, affectus ad omnem occasionē lædendi paratus. Ira inueterata uertitur in odium, & de festuca facit trabem, teste Augustino sermo. 237. de tempore, Ira est festuca, odiū uero trabs. Qui odit fratrem suum, est homicida. 1. Ioann. 2. Odium in corde habens est secundus Diabolus, dicit Augustinus sermo. 28. ad Fratres in Erêmo, & sermo. 47. Odium, inquit, generat detractionem, & inuidiam: est enim pernicies imo pestis dilectionis & unitatis.

De

## D E D E T R A C T I O N E.

**C**alumniatur et Sycophanta pro gladio, iaculo & ueneno utitur lingua, quæ his omnibus plus nocet, Dicit Erasmus. Nō refert quo pacto quis adimat uitam: nam ubicunq; est peruersa ledendi uoluntas, ibi quoq; est homicidium. Bernhardus in libro de considerationibus dicit, Nunquid non uipera est lingua detrahentis, quæ letaliter uno flatu tres inficit, eum qui detrahit, eum cui detrahitur, & eum, qui detractori aures præbet, & illo delectatur? Proinde pronunciat scriptura detractores Deo odibiles esse, Roma. 1. Hoc est, non solum qui Deo sunt odio, secundum Theophilactum, sed quibus ipse Deus odio est, id est, qui ipsum Deum odio habent, ut exponit Gennadius.

Papa Anacletus existimat detractorem fuisse peiorē, dicens, Deteriores sunt qui uitam et mores alicuius corrumpunt, quam qui auferunt substantias.

Damnatur hoc pessimum uitium in scriptura, ut Sapient. 1. Parcite linguæ à detractione, quoniam sermo obscurus non inuacuum ibit. Ecclesiastes dicit, si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Pro uerb. 25. iubemur non audire detractores, deponere omnē dolum, inuidias et omnes detractio-

F

nes

nes, 1. Petri 2. Est enim malitia istud uitium  
nempe detractio, quod opponitur candori uir-  
tuti scilicet, qua omnia proximi in bonam par-  
tem accipimus. Nolite detrahere alterutrum  
fratres mei, dicit Iacobus ca. 4. Detractor sibi  
nocet & alios inficit ut lepra, inquit Augusti-  
nus sermo. 26 ad Fratres in Erêmo, & propte-  
rea noluit admittere detractorem ad mensam,  
in qua ita scriptum habuit,

Quisquis amat dictis absentū rodere famā,  
Hanc mensam indignā nouerit esse sibi.

### DE INUIDIA.

**I**nuidia est Diabolicum uitium. Nam inuidia  
Diaboli mors intrauit in mundum. Sapie. 2.  
Paulus ad Galat. 5. dicit, Inuidos non acceptu-  
ros esse hereditatem regni Dei, quare mone-  
mur deponere inuidias, 1. Petri 2. Ex inuidia  
nascitur homicidium, ait Theophilactus. Est  
uero Inuidia nil aliud præterquam alienæ fœli-  
citatæ odium, teste Augustino, homilia 20.

### DE SEXTO PRÆ- CEPTO.

**P**ræceptum sextum sancit & confirmat le-  
gitimum coniugium, non solum externa de-  
licta

lista prohibens, sed etiam prauam inclinatio-  
nem & uagos ac errantes motus, omnis gene-  
ris immundicias, scortationes, concubitus mere-  
tricios, & immundas cogitationes libidinis ac  
concupiscentiae, & postulat castitatem, pudici-  
tiam, uerecundiam cordis in cogitationibus de-  
siderijsq; & corporis quoq; ut in lingua, facie,  
oculis, auribus, tactu, & si quid est huiusmodi.

Pertinet quoq; ad hoc praecipuum non trans-  
grediendum, temperantia, sobrietas, ieiunium,  
uigiliae, moderatio in uestitu, honesti labores,  
& ut uitentur mollicies, otium (quod est pul-  
uinar Sathanæ, secundum Augustinum) desi-  
dia, superbia, crapula, ebrietas, & impudico-  
rum deniq; consuetudo, quæ omnia sunt irrita-  
menta & fomenta libidinis.

Transgressoribus scriptura poenam mina-  
tur, Hebr. 13. Fornicatores & adulteros iudi-  
cabit Deus, id est, damnabit, dicit Theophila-  
ctus. Nam si permissæ sunt nuptiæ, nil poterit  
fornicarius aliquis uel adulter carnis illecebras  
excusare. 1. Corinth. 6. Fornicatores, Adulte-  
ri non erunt heredes regni Dei, id est, non pos-  
sidebunt regnum Dei, Galat. 5. Ut enim uiro  
nihil coniunctius, nihil carius uxore legitima,  
ita nulla est contumelia intolerabilior, quam  
uxor per adulterium constuprata, est enim una  
caro cum uiro. Quapropter Salomon Prouer-  
bior.

bior. 6. Adulterium & furtum inter se confert, minus peccatum furtum pronuncians, nō ex se, sed comparatione maioris peccati, scilicet adulterij, quia quanto uxor ut pote propria nostra caro, charior & preciosior est ceteris possessionibus, tanto adulterium maius peccatum est furto, & maior iniuria infertur proximo per adulterium quam per furtum. Nam furtum plerumq; committitur ex egestate, sed adulterium ex appetitu pernicioso. Adulter habet praesens remedium pro uitanda scortatione, nempe matrimonium, 1. Corinth. 7. Fur autem necessitate compulsus in mediam euadere cupiens, alienam substantiam rapit, adulter ipsam carnem, eam commaculans atq; prophanans, & teste Apostolo, in corpus suum peccans, 1. Corint. 6. Est enim corpus nostrum templum Dei, in quo est Spiritus sanctus. Sciamus igitur, quod non ad fornicationem facta sunt membra nostra, sed ad laudem Dei, ad seruiendum Deo, inquit Sedulius.

**Caste.** Uxor enim non propter libidinem ducenda est, sed propter filiorum procreationem, ut inquit Augustinus sermo. 244. de tempore.

**Amet.** Ita quidem docet Paulus Ephe. 5. dicens, Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus

Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea. Quare nec mori, si necesse fuerit, pro uxoribus, recusetis, inquit Sedulius. Ita uiri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Ad Collos. 3. quoq; docet uiros, ne sint amarulenti aduersus uxores. Mulier namq; cum adamat, & ipsa reciprocam refert amoris uicissitudinem, sicuti uir obsequio mansuescit, & benignum se praebet.

**Honoret.** Viri enim cohabitent mulieribus secundum scientiam, uelut infirmiori uasi muliebri impartientes honorem, tanquam coheredibus gratiae uitae, ne interrumpantur preces uestrae, id est, uiri compertum habeant, qui nam mulierum genus tractandum sit, nempe ita, ut illarum uitia uel mutantur uel tolerentur. Mulieres enim tam corpore quam mente sunt uiris imbecilliores, proinde modestè cum illis agendum: non enim exaudiuntur illorum preces, nisi concordia inter eos constiterit.

Quomodo uero Mulieres subditae sint suis uiris, docetur iisdem in locis: Est enim illarum officium, obtemperare maritis, timere maritos, quam possunt caste uiuere, & non adeo sumptuosius uestibus uti: est enim uir caput mulieris. Summa, Viris beneuolentia erga uxores, uxoribus uero subiectio erga uiros competit, teste Theophilacto.

DE SEPTIMO PRAE-  
CEPTO.

**H**Oc Praeceptum uult singulos res suas tenere, & non appetere alienas, prohibet itaque auaritiam quam Gennadius noxam & circumuentionem uocat, quae fit ex cupiditate plura habendi, usuram, fraudem & imposturam, unicuique facultates suas muniens: decet enim nos equitas in omni negotio, ut nemini faciamus fucum. Nam aliquem in contractu fallere, tam est furari, quam ex arca res alienas clam surripere.

Monendi itaque sunt omnis generis opifices, ne carius suas res uendant, quam earum dignitas & ualor postulat.

Peccat contra hoc praecceptum infidelis familia, quae absentibus heris, aut otio indulget, aut res eorum ex negligentia perire finit. Peccat etiam, qui mercenarium debito solario fraudat, is etsi non dicitur fur, tamen est fur, similiter quoque peccat, qui immisericors est & tenax in erogandis necessarijs, eleemosynis, & largitione mutui.

Horum poena haec est, Neque fures, neque auari, neque rapaces hereditatem regni Dei accipient, 1. Corinth. 6.

Quare cum fide in Christum petamus & expectemus à Deo uictum & fortunas, & iuxta mandata



mandatum Dei laboremus, & partis iuste utamur, & propter timorem Dei caueamus illicitos modos quærendi facultates. Nam fur etsi lucrum habeat in arca, tamen damno non caret in conscientia, inquit Augustinus sermo. 95. de tempore.

### DE OCTAVO PRÆCEPTO.

**H**Oc Præceptum postulat ueritatem, quæ nil amabilius, aut utilius præsertim in doctrina, in iudicijs, in pactis, atq; in conuersatione. Vult & iubet, ut simus amantes iusticiæ & ueritatis, osores simulationis, hostes mendacij, & omnis deniq; synceritatis uigilantissimi custodes. Testis falsus etiam fur est, nam qui proximum falso testimonio lædit, facitq; hoc amore lucri, is committit furtum. Est & homicida, si odio lædit, cum lingua sit omni ferro nocentior. Non enim minus occidit hominem, inquit Erasmus, qui falso testimonio innocentem opprimit, quam qui necat gladio. Peccant igitur contra hoc præceptum obtrectatores, qui agunt in absentes, adulatores, & qui corrupte docent, calumniatores, mendaces, suspiciosi, periuri, susurriones, maledici, & qui proximi famam non tuentur. Proinde discamus frenare

linguam, & corrigere morbos animi, qui aut pariunt, aut confirmant linguæ petulantiam, tegamus etiam errata proximi, excusemus, aut certè interpretemur benignè, si neq; tegi neq; excusari queant. Corripiamus etiam delatores, qui aliorum famam ledere atq; labefactare conantur, ijsq; non præbeamus aures: sunt enim homines pessimi.

Deniq;, falsus testis non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet, Proue. 19. Quare hortatur nos D. Paulus Ephe. 4. dicens: Deposito mendacio loquatur unusquisque cum proximo suo ueritatem, quoniam sumus inuicem membra. Non enim alterutrum membra se fallere neq; laniare possunt, ita & nos, inquit Sedulius.

### DE NONO AC DECIMO PRÆCEPTIS.

**D**Eclarant hæc duo ultima Præcepta. Lex Dei non solum externa mala opera prohiberi, sed damnari & accusari etiam uitium hærens in hac deprauata hominum natura, concupiscentiam nempe, & prauam inclinationem, quæ est perpetua quædam auersio à Deo. Docent uero nos quærere utilitatem proximi in omnibus, iuuare eundem, ut fiat ditior, & ut bona

bona eius crescant. Exigunt quoq; perfectam puritatem cordis, affectum & uoluntatem, ut iussa diuina exequamur, & prohibita omittamus. Summa hæc est eorum, Qui fecerit hæc, uiuet in eis: qui uero non fecerit aut permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Lege, maledictus. Quocirca ita concludit, Ego sum Deus zelotes, id est, eo sum animo ut parcere non uelim, neq; enim possum sustinere, ut à me declinetis. Sum etiam misericors, id est, bonus, benignus, beneuolus et propensus ad benefaciendum atq; ignoscendum.

## DE SYMBO LO APOSTOLO RVM.



YMBOLVM dicitur collatio, ut D. Augustino placet sermo. 115. de tempore, quod plures in unum contulerunt. Tradunt itaq; quod post ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad Patrem discipuli cum per aduentum Spiritus sancti inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasq;

nationes, ut uerbum Dei prædicarent ituri ac discessuri inuicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in cōmune statuerunt, ne de loco ad locum ab inuicem discedentes, diuersum uel dissonum prædicarent his, qui ad fidem Christi forent inuitandi. Contulerunt itaq; aliquot articulos in unum, omni homini Christiano ad salutem necessarios, quæ collatio dicta est Symbolum, quod quidem breue est uerbis, sed magnum Sacramentis. Quicquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quicquid denunciatum in scripturis, quicquid prædictum in Prophetis, hoc totum breuiter Symbolum continet.

Diuiditur autem in tres partes, quarum prima docet nos de Creatione & conseruatione omnium creaturarum, uel potius de perpetua in Creatione actione Dei Patris, ut Christus dicit, Ioan. 5. Pater meus adhuc operatur, & ego operor. Dicat quis, quomodo Pater operatur usq; ad hoc tempus, cum Moses dicat, quod qui euerit Deus ab omnibus operibus suis. Vt discamus igitur quomodo operetur adhuc Deus, uideamus dispensationem rerum, & opera prudentiæ Dei, solem orientem, mare, flumina, fontes, animalia, & simpliciter omnes facturas, & uidebimus creaturam opera sua operari, imo recipere operationem, & ineffabili prudentiæ uerbo moueri. Quare dicit Moses requieuit

quieuit, non quasi fessus, sed quia cessauit, sicut etiam Cherubin & Seraphim non quiescunt, id est, non cessant clamando & glorificando Deum, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth, Esai. 6. Desijt à condenda fabrica quam perfecerat, non aliã terrarum molem superiori addens, sed ab administrando & regendo uniuersa non cessat, Psalmo 103. Augustinus tractatu 17. inquit: Pater operatus est cum fecit mundum, & usq; nunc operatur, cum gubernat mundum. Quare fideli non alia est presentior consolatio, ut inquit noster Philippus, quam si sciat se in manu Dei esse, uitam, uitum, mortem & omnia sua regi & disponi presentente Patre.

Secunda docet de redemptione humani generis per filium Dei Iesum Christum, qui humanam naturam assumpsit, ut nunc Iesus Christus sit Deus & homo, Ephes. 1. 1. Timoth. 1. & 2.

Tertia docet de sanctificatione, quæ fit per Spiritum sanctum.

## PRIMA PARS SYMBOLI

### DE CREATIONE.

**O**Mnipotens Deus cuncta in usum hominum creauit, non ut in his uoluptuarentur, aut ijs abuterentur, sed ad necessitatem. Præcipue

cipue autem in hunc usum creauit omnia, ut sese agnoscendum & fruendum nobis daret. Homo uero in hoc conditus est, ut creatorem suum cognoscat, amet, colat, timeat, glorificet, ei gratias agat, & fidat in omnibus, demum quoque inuitet alios ad fidendum Deo, & ad suscipiendum Euangelium de Christo. Pater quippe non potest credi sine filio, quia licet in eis sit distincta personarum proprietas, tamen una est & indiscreta maiestas, inquit D. Augustinus sermo. 116. de tempore, Oportet etiam ut Spiritus sanctus, qui ex utroque procedit, in nobis operetur, uiuam ardentemque Patris & Filij cognitionem, ut scilicet simus certi in animo nostro de ipsorum presentia. Deus Pater creauit nos et disposuit ut salui fieremus. Deus Filius saluos nos fecit. Deus Spiritus sanctus sanctificat nos ad illam salutem, & in illa nos conseruat.

Credo in Deum. Diuersæ sunt significationis, Credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Credere Deum est credere, quod ipse sit Deus: Deus uero nomen est maiestatis, quo omnis creatura terretur & contremiscit, & ita credunt Dæmones quoque atque contremiscunt, ut testatur Iacobus cap. 2. & D. Augustinus sermo. 181. de tempore. Credere Deo est credere: uera scilicet esse quæ loquitur, hoc & mali

mali possunt. Credere uero in Deum, est illum diligere, illi fidere, illum colere, eiq; gratias agere, & hoc pij faciunt qui nomine Dei non terrentur, sed magis prouocantur, & ut Patrem cum omni fiducia accedunt, qui habet Filium uere genitum, per quem & propter quem uult nos saluare, tueri, iuuare, defendere, non aliter ac Pater filios suos, qui nos antequam iacerentur fundamenta mundi, elegit, prædestinauit atque adoptauit per Iesum Christum Filium suum unicum Dominum nostrum. Est uero Pater uox fiducia: nam qui credit Deum esse patrem, is omnia sibi de Deo pollicetur, omniaq; de ipso expectat, qui omnia quæ uult potest, cui nihil est impossibile. Quare credimus illū esse Omnipotentem, qui cælum & terram, mare, homines & omnia animalia reptiliaq; non aliquo operis actu, sed solo uerbi imperio creauit, huic ut filij dilecti pareamus, grati simus, nec unquam desperemus, quin omnia quibus indiguerimus, ut cœlestis, ut clemens, ut benignus, ut misericors, ut omnipotens quoq; Pater, affatim petentibus nobis sit suppeditaturus.

## SECUNDA PARS SYMBOLI.

### DE REDEMPTIONE.

Et in Iesum Christum Filium eius  
unicum

unicum Dominum nostrum. Quia ~~ea~~  
 qualis est maiestate & gloria cum Patre, qua-  
 re quantum Patri, tantum quoq; Filio honoris  
 nos debere nouimus, & seruitutis obsequium,  
 teste Augustino. Nam qui Filium negat, is ne  
 quidem Patrem habet. 1. Ioannis 2. Vocatur  
 autem Iesus quod saluet populum sibi creden-  
 tem, Matth. 1. Item Christus, id est, unctus:  
 Primum enim intercedit pro nobis ut Sacer-  
 dos, Roma. 8. uolens ignitam suam erga nos di-  
 lectionem monstrare, uerum non intelligamus  
 per intercessionem, quandam diminutionem,  
 primo enim parem adeoq; equam dignitatem  
 habes in eo, nimirum quod sit ad dexteram Pa-  
 tris, deinde adijcitur intercessio nobis in conso-  
 lationem, quod ceu humano more, dictum est,  
 quoniam Pontifex erat. Hæc Oecumenius Græ-  
 cus. Deinde nos quoq; defendit & pro nobis  
 pugnat aduersus Satanam & eius regnum, ut  
 rex cui data est potestas in cælo & in terra,  
 Matthæi ultimo. Vocatur & Vnicus, quia  
 nec recipit comparationem cum creaturis, neq;  
 similitudinem quoq; homines, fideles nempe,  
 etiã uocantur Filij Dei, sed per gratiam adopti-  
 onis, is uero solus per diuinam naturã genitus,  
 quomodo uero genitus sit, nos non quæramus  
 neq; discutiamus, hoc enim nesciunt Angeli, est  
 quoq;

Vnicus



quoq; incognitū Prophetis, Iuxta illud Esa. 53.  
 Generationem eius quis enarrabit? scire nobis  
 sufficit, quia genuit lux splendorem, proinde  
 scriptura dicit, In principio erat Verbum, &  
 Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ver-  
 bum, Ioannis 1. Demum quoque Dominus  
 noster, quibus uerbis testamur, quod Iesus  
 Christus, nos ex captiuitate peccati, mortis, in-  
 ferni ac Diaboli, sub suum dominiū redegerit,  
 ac iam illis hostibus omnibus dominetur, &  
 quod nos in Christo Domino nostro illis hosti-  
 bus simus superiores.

Qui conceptus est de Spiritu San-  
 cto, id est, cuius conceptionis solus autor est  
 Spiritus sanctus, teste Augustino, ergo uerus  
 Deus & uerus homo est Christus, constans dua-  
 bus naturis, diuina atq; humana, quam præfinito  
 ac statuto à Deo Patre tempore, ex matre  
 uirgine Maria assumpsit, Galat. 4. Voluit au-  
 tem de Spiritu sancto concipi, ut conceptus no-  
 ster impurus & damnationi obnoxius, per ip-  
 sum purgaretur, ne propter nostri conceptus  
 sordes in interitum eternum conijceremur.

Natus ex Maria uirgine. Qui uene-  
 rat inueteratam hominum naturam renouare  
 peccatis, uoluit quoq; habere nouam legem nas-  
 cendi, inquit Augustinus: est uero nobis natus  
 teste

teste Propheta Esai. cap. 9. ut nos, qui filij iræ nascimur, Ephes. 2. Dei filios charissimos redderet, & nostræ natiuitatis maculas abstergeret, & tandem à maledictione legis, à peccatis et tyrannide Diaboli liberaret, & duceret secum ad uitam æternam.

Passus sub Pontio Pilato. Mentio nominis Pilati nõ ad dignitatem personæ ipsius pertinet, sed ad significationem & certitudinem temporis. Illo enim tempore Pilatus constitutus erat iudex in Iudæa ab Imperatore Romano. Non autem putatiue passus est, sed uerè, ut testatur scriptura, nempe esuriem, sitim, lassitudinem, dolores, & si quid est huiusmodi, denique & mortem ipsam, pro nobis miseris peccatoribus, ut peccatis mortui, iusticiæ uiueremus, Esaiæ 53. 1. Petri. 2. id est, ut iusti simus, non imputatis peccatis propter Christum, qui sua passione meruit nobis omnibus deletionem culpæ, & collationem gratiæ & gloriæ, ut inquit Scotus: Verum eius passio non nisi credentibus efficax est, ut testatur Petrus de Aquila. Consideremus uero passionem Christi bifariam, primum ut Sacramentum, quod & significet & donet mortem peccati in nobis: deinde ut exemplum, ut etiam libenter omnia mala, quæ nobis obueniunt, æquo animo feramus, & sequamur uesti-

uestigia Christi, hoc qui non facit, non est Christianus, ut dicit D. Augustinus.

**Crucifixus,** Id est, obtulit sese in cruce pro peccatis nostris uictimam Deo. Neq; est alia pro peccatis satisfactio, quam Deus Pater recipit, nisi illa una oblatio facta in cruce, & semel quidem, ut testatur autor Epistolæ ad Hebræos, ut illa in æternum iuuemur, & emundemur ab omnibus peccatis, cuius recordationem nobis in cœna sua reliquit, Luc. 22. 1. Corin. 11. D. Augustinus triplicem rationē assignat, ser. 181. de tempore, quare Christus uoluit mori in cruce, prima, ut pro reatu mundi daretur redemptio, & antiquus hostis uelut hamo crucis caperetur, nempe ut quos absorberat, euomeret. Secunda, ut secutoribus hominibus præberet magisterium uitæ 1. Petri 2. Tertia, ut superbia seculi & inflata sapientia per stultam prædicationem crucis (ut putatur, 1. Corin. 1.) humiliata corrueret.

**Mortuus.** Eadem natura carnis scilicet in qua natus est & passus. Mortuus est autem, ut pro peccatis nostris, propter quæ & nobis moriendum est (mors enim peccati stipendium teste Apostolo) & mors uolebat nos absorbere, satisfaceret, & mortis uires frangeret, Ose. 13. 1. Cori. 15. 2. Timo. 1. Ioann. 8. & 11. Secundum istud Distichon:

G

Mors

Mors, mortis, morti, mortē ni morte dedis-  
 Cœlorum nobis ianua clausa foret. (ser,  
 Vnde mors piorum somnus atq; requies, in  
 multis locis sacræ scripturæ, appellatur. Qua-  
 re D. Bernhardus serm. 26. in Cantica canticor-  
 um Salomonis, ita dicit: Nunquid occisum quis  
 dixerit, quem Deus plantauit in uitam? non a-  
 mittimus eos, sed præmittimus, qui ex hac uita  
 discedunt, illis mors non est stimulus, sed iubi-  
 lum: Christus enim illos, qui in ipsum credunt,  
 resuscitaturus est in nouissimo die. Mors qui-  
 dem in Christianis moritur, & perforatur ha-  
 mo, quem incauta glutit. Non ob eam causam  
 peccata nostra in sese transtulit, mortis suppli-  
 cium pro nobis subiens, ut nos obnoxios morti  
 teneret, eiusq; debitores, sed ut nos iustificaret,  
 à peccatis liberaret, ac omnino inculpato di-  
 mitteret, & mortem quoq; destrueret, eamq;  
 exarmaret. Hæc Theodulus.

Et sepultus. Vt sepultura sanctorum be-  
 ne diceret, & nos sibi uitij & concupiscentijs  
 mortuos sepeliret, quare sepultura à nobis re-  
 ligiose & honeste celebrari debet propter in-  
 effabilem spem nostræ resurrectionis. Hoc enim  
 solatio erigimur aduersus duritiam & crude-  
 lissimam necessitatem mortis, quod breui sumus  
 eos uisuri, quos absentes dolemus, lege Paulum  
 1. Thessalo. 4. Vnde:

Secunda

Securus moritur, qui scit se morte renasci:

Mors ea non dicitur, sed noua uita potest.

Studeamus saltem ita uiuere, ut cum tempus moriendi aduenerit, in domino moriamur, scientes tam certo nos resurrecturos esse, quam certum est Christum resurrexisse.

Descendit ad Inferna. Quandoquidem Christus sua morte mortis aculeum hebetavit, imo prorsus fregerit, ut non sit quod amplius timore mortis corripiamur: Deus enim in hoc ordinauit mortem, ut hoc malum aliquando finiat, nempe peccatum, & mors nil aliud sit, præterquam ministra uitæ & iusticiæ, ut dicit noster Rhegius: Ne uero Infernus, seu tyrannis Diaboli ullum etiam timorem nobis incutiat, Descendit etiam ad inferos, ut nos ab inferni pœnis eriperet, & mitteret nobis Diabolum sub iugum, qui, teste Cypriano, adeo deuictus est, ut in tentationibus illi prorsus nihil liceat, nisi quantum illi concedatur. Simus igitur grati Deo Patri & Domino nostro Iesu Christo. De Inferno lege Augustinum sermone 26. ad fratres in Erêmo, et sermone 68. ad eosdem. Item sermone 137 de tempore, ubi disputat quomodo Christus inferos splendido & terribili descensu uisitarit.

Tertia die resurrexit à mortuis. Et



eadem natura carnis quoque, in qua natus, passus  
 & mortuus est. Non enim exinanita est humani-  
 tatis substantia, sed glorificata in æternum cum  
 deitate mansura: In passione quidem pietatis my-  
 sterium considerandum est, in resurrectione  
 uero diuinæ potestatis operatio obseruanda,  
 ut D. Augustinus docet. Ipsemet enim ita dixit,  
 Potestatem habeo ponendi animam meam, &  
 rursus sumendi eam. Ioann. 10. Hoc est, sum Do-  
 minus mortis, & dux uitæ: resurrexit autem  
 propter iustificationem nostri, Roma. 4. id  
 est, ut nos iusti essemus coram Deo, & ita conse-  
 queremur condonationem peccatorum & ui-  
 tam æternam. De isto autem articulo ita loqui-  
 tur D. Augustinus serm: 138. inquiens, Reddunt  
 inferna uictorem, & superna suscipiunt trium-  
 phantē: Sustulit errorem natus, mortem calca-  
 uit occisus, reuocauit ab inferis quem creauit,  
 in illius cruce pependit precium nostrum &  
 regnum. Congaudeant hic elementa quæ plan-  
 xerant, quia Christus de sua maiestate nihil per-  
 didit, & hominem quem fecerat liberauit.

Paulus monet Timotheum dicens, Memento  
 Christum resurrexisse à mortuis. Nam in hoc  
 sita sunt omnia, & est eximia pars & principa-  
 lis articulus fidei ac basis, siquidem Christi re-  
 surrectio nostra iustificatio est, quæ in nobis  
 glorificationem & uitam spiritus operatur.

Verum

Verum non prætereunda silentio est pia et fidelis admonitio Apostoli, Roma. 6. dicentis: Quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus, quo scilicet doctrina Christi seruatoris nostri ornatur in omnibus nobis. Gloria Patris est diuinitas Christi, inquit Theodoretus, & uitæ nouitas est, in qua emoritur peccatum quidem, resurgit autem uita, uirtute & fide conspicua, ut si fornicator non porro fornicetur, & raptor ac prædo non amplius prædetur, uitæ dicitur nouitas, quæ fit confecta nequitia & excitata uirtute, secundum Theophilæum.

Ascendit ad cœlos, Id est, conditionem nostræ naturæ quam ex homine matre assumpsit, super cœlos in dextra Dei Patris collocauit. Ascendamus autem & nos cum Christo interim in corde, ut cum dies eius promissus aduenerit, sequamur et corpore. De ascensu Christi glorioso egregiè loquitur Propheta Regius Psalm. 67. cuius uerba citat Paulus ad Ephe. 4. & Psalm. 46. describitur quoq; in Actis cap. 1. & Marci ultimo. Propheta sic ait, Psalm. 67.

Ascēdisti etenim Deus hinc euectus in altū,  
Captiuos tecum uictor ab hoste uehens.

At quam hic narrat captiuitatem? Nimirum



Diaboli. Diabolum namque & mortem, maledictionem insuper & peccatum, in seruitutem subacta, Christus, quorum ex ditione & nos liberavit, qui his malis eramus obnoxij. Hæc Theophilactus. Et hoc factum est ascendente redemptore ac Triumphatore nostro Iesu Christo, iuxta illud Tetrastichon:

Dextra ubi cōsurgēs se mouerit alta tonātis  
 Mox capiet celerem turba inimica fugā.  
 Hic rex non armis, uerbo tñ omnia uincet:  
 Vt ueterem strarunt Hierichunta tubæ,

D. Augustinus sermone 174. de tempore, sic dicit, Christus ideo ascendit, ut nos desuper protegeret: habemus ergo Dominum et saluatorem nostrum Iesum Christum prius pendentem in ligno, nunc uero sedentem in cælo. Impletum igitur est illud Apoca. 5. nempe, Vicit Leo de tribu Iuda, Radix Dauid, imo & germen, inquit Ioannes Huß, quia mater Christi fuit de tribu Sacerdotali & Regia. Et Christus secundum diuinitatis potentiam firmavit regnum Dauid in æternum, & secundum humanitatis infirmitatem processit de stirpe Dauid. Merito Leo dictus, Fortis nimirum et inuictus, & rapax quasi Leo, cum mundi principe congregiens, prædam ab eo tulit, uicitq; illum, quæ etiã quotidie in electis suis uincit. Hæc F. Lambertus.

Sedet



Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sedere iudicantis est, ut D. Augustinus inquit, & quia Redemptor noster assumptus est in coelum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum Iudex omnium ueniet, sedere dicitur: de qua sensatione loquitur D. Petrus cap. 3. prioris Epistolae, & Paulus 1. ad Ephesios. Credere autem Christum ascendisse ad caelos, & sedere ad dexteram Patris omnipotentis, nihil aliud est, quam quod sese propterea Christus à nostro conspectu subduxerit, ut cum omnibus hominibus rem habere, omnes regere, omnibus concionari, & esse in omnibus & uelit & possit, ac ut omnium quoque preces exaudire, & rationibus nostris consulere, nos contra omnia mala defendere, & pro nobis deprecatorem & aduocatum agere queat.

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. In ipso corpore uenturus est ad iudicium, quo ascendit in coelum, tunc omnes a stabimus ante tribunal Christi, teste Apostolo 2. Corinth. 5. ut referat unusquisque propria corporis sui pro ut gessit, siue bonum siue malum. Non reddet secundum misericordiam suam, sed secundum merita nostra, hic enim misericors est, ibi erit iustus: quare ueniet ut remuneret iustos, & puniat peccatores, hoc est, sese

quidem ostensurus est clementem Dominum  
piorum, nempe liberatorem, sed impiorum iudi-  
cem seuerum fore.

De extremo iudicio legitur Matth. 25. Mar-  
ci 13. & Lucae 21. Venient quidem Angeli ut con-  
gregent electos, qui tanquam in nubes rapti, oc-  
currant Domino iudici Christo. 1. Thessal. 4.  
2. Petri 3. Psalm. 96. & Psalmo 98.

Diriget æquatis terrarum legibus orbem,  
Et fida populos dexteritate reget. *Vel sic.*  
Iusticiã ipse suã terras diffundet in omnes,  
Et populos æqua conditione reget.

Actorum 17. Deus annunciat hominibus, ut  
omnes ubiq; resipiscant, eò quod statuit diem,  
in quo iudicaturus est orbem terrarum cum ius-  
ticia, per eum uirum, per quem decreuerat, fi-  
de præstita omnibus, quum excitarit illum à mor-  
tuis.

### TERTIA PARS SYMBOLI

#### DE SANCTIFICATIONE.

Credo in Spiritum sanctum. Spi-  
ritus sanctus est æternus cum Patre & Filio  
Deus, nostræ hæreditatis pignus & arrabo sa-  
lutis, Ephes. 1. qui renouat corda nostra, uiui-  
ficat atq; sanctificat nos, penitus quoq; in alios  
homines

homines transformatur, consolatur, gubernatur, re-  
purgatur ab immundicijs peccati, & tandem ser-  
uat à terroribus peccati & extrema despera-  
tione.

Sanctam Ecclesiam Catholicam  
Sanctorum communionem. Ecclesia  
est populus consentiens de uerbo Dei, & de ue-  
ro eius cultu, habens Spiritum sanctum, & ex-  
ternas notas proprias, Sacramenta uidelicet, &  
confessionem uerbi Dei. Dicitur autem San-  
cta, quia mundata est à peccato, abluta pre-  
cioso sanguine Domini nostri Iesu Christi, E-  
phes. 5. & gubernatur eius est Spiritus san-  
ctus. Erat immunda Ecclesia et deformis, inquit  
Theophilactus, nil tamen hanc uel squallentem  
aspernatus est Dominus, sed purificauit luan-  
cro aquæ, hoc est, in baptisimi uerbo & uitæ,  
Patris scilicet & Filij & Spiritus sancti nomi-  
ne. Dicitur & Catholica, id est, uniuersalis,  
una nempe in toto orbe, & uniuersaliter om-  
nium hominum, sed qui in Christum credunt,  
ut unicum & æternum Saluatorem suum, & ui-  
tæ nouitati student. Cœpit autem Ecclesia illa  
sancta tempore Adæ & Eue, nam statim facta  
promissione de Christo, cui cum iam crederent  
Adam et Eua, Ecclesiæ membra fieri cœperunt:  
Quare Augustinus ita dicit, Credo sanctorum

communione, id est, Credo, quod cum illis sanctis, qui in hac quam suscepimus fide, in Christum scilicet, defuncti sunt, societate & spei communione teneamur.

**Remissionem peccatorum.** Hocq; est remedium quod hominum genus à sententia perpetuæ mortis absoluit, ut dicit S. Augusti. Ecclesia non ita sancta est, ut prorsus omnibus malis cupiditatibus careat, quare confitetur sua peccata, & ea sibi remitti orat, Matthæi 6. & credit remissionem peccatorum, quam consequitur per fidem auditi uerbi, & administrationem Sacramentorum.

**Carnis resurrectionem.**

Quam ita credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc sumus, membrorum ueritate, esse reparandos, quales etiam semel post resurrectionem fuerimus effecti, sic et in perpetuum mansuros, Hæc Augustinus. Corpus hoc nostrum resurget quod modo hic cernimus, Iob 19. sed mutata eius conditione & qualitate, inquit Cyprianus: erit enim incorruptibile & immortale. De hoc articulo lege Ezechiel. 37. Daniel. 12. 1. Corint. 15. 1. Thessalo. 4. Philippen. 3. Augustinus sic ait, Caro resurget incorruptibilis, sine uitio, sine deformitate, sine onere ac pondere, et quæ tibi modo facit tormentum, erit tibi postea in ornamento

namentum. Proinde nihil nos moueat, qua morte intercidat caro, aut quo elemento absorbeatur: in extremo enim die, infinita uirtute eius, qui omnia creauit ex nihilo, reuocabitur integra, id est immortalis, incorruptibilis, gloriosa, nullis carnalibus obnoxia affectibus, illustris, angelicæ naturæ propinqua, & tandem potens ac sine omni uitio. Illi uero quos dies extremus depræhenderit, neq; sepelientur, neq; morbis concident, sed illico extincti simul & commutati, aut rapiuntur in cælos, aut in tartæra præcipitabuntur, iuxta illud Athanasij, & qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala, in ignem æternum: & Ioan. 3. Qui credit Filio, habet uitam æternam: Qui uero non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

Et uitam æternam: Quæ erit plena gaudio atq; lætitia, debemus itaq; quæ cœlestia sunt sentire & sapere, & ad nostram superiorem illam patriam, quæ est æterna uita, contendere, ubi nobis est uersari & uiuere constitutum. Ibi enim & Dominus noster et imperator iam residet, quem hic per speculū in ænigmate, id est, si de tantum et uerbo cernimus, tūc uero eundem facie ad faciem uisuri erimus, quem modo ad nos descensurū paterna gloria ac maiestate et  
sanctis

sanctis Angelis comitantibus expectamus, quo adueniente, hoc nostrum corpus, quod nunc multa patitur, constringitur & uapulat, estq; infinitis malis, doloribus & corruptioni obnoxium, transfigurabitur & reformabitur, hoc est, id ipsum permanens obducetur incorruptione & uiuet perpetuo.

De uita æterna D. Augustinus sic: Quæ lingua dicere, uel quis intellectus capere sufficit illa supernæ Ciuitatis, (id est, æternæ uitæ) quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse cum beatissimis spiritibus, gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei uultum cernere, incircumscriptum lumen uidere, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Cur non properamus & currimus, ut patriam nostram uidere possimus? Magnus illic charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate securam. Ad hos Dei electos, auida cupiditate properemus, ut cum illis cito esse, & cito nos ad Christum uenire contingat, quem istius itineris ducem, salutis autorem, uitæ principem & lætitiæ largitorem habemus.

Hæc ille.

DE

91

# DE ORATIO NE DOMINICA.



**O**RATIO est exercitium fi-  
dei, qua omnia impetramus, qui-  
bus tum in anima, tum in corpo-  
re opus habemus, qua etiam  
gratias agimus Deo pro suis in-  
nos beneficijs. Est & desiderium cordis & se-  
ria nominis Dei inuocatio, Serium animi cum  
Deo colloquium, anxium suspirium, et uera tan-  
dem eleuatio mentis ad Deum, quæ omnino ne-  
cessaria est, cuius intermissio homini christiano  
ipsissimum uenenum est: hac quidem summe glo-  
rificatur Deus, qui promisit exauditionem, ut  
sciamus nos non frustra orare. Est & oratio bo-  
num opus secundi præcepti, iubemur itaq; ora-  
re, iuxta illud, Psal. 49. Inuoca me in die tribu-  
lationis, eruam te, et honorificabis me, Matt. 7.  
Petite & dabitur uobis, & 26. Orate, ne intre-  
tis in tentationes. 1. Thessalo. 5. Orate incessan-  
ter. Oremus autem fide, id est, credamus quod  
Deus nos sit exauditurus. Est enim fides in pri-  
mis & summe necessaria ad orationem, quia  
apprehendit promissionem exauditionis ad ef-  
fectum: qui enim orat sine fide, is non exaudi-  
tur.

tur, Iacobi 1. Habent autem Christiani semper uel pro se, uel pro alijs orandi necessitatem, quæ efficit, ne inuanum aut frigide oremus, sed præbet occasionem orandi, scriptum est enim, Esaie 26. In angustia quæsierunt te Domine. Multis enim rebus & indigemus, & multis malorum procellis in singula momenta obijci mur. Christus uero persona est, propter quam exaudimur, ita ipse quidem dicit, Amen, amen, dico uobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Differt autem Deus interdum exauditionem, scilicet ut probet nostram fidem, fides namq; & spes non confundunt: quare certissime sequitur exauditio, ubi est ex gloria Dei & nostro commodo: orandum igitur est cum leproso, Domine si uis, potes me mundare, Matth. 8. & 6. Fiat uoluntas tua. Orandum est secundum Deum, id est, secundum uoluntatem Dei, pro sanctis, id est, puris Deoq; placentibus operibus, ut uult Photinus.

Oratio Dominica, à Domino Christo autore prolata, qua nõ potest alia esse succinctior, compendiosius uerbis omnia de quibus Deum interpellamus, comprehendit, aut pro bonis appetendis, aut pro uitandis malis, aut pro delendis commissis, hæc D. Augustinus sermo. 182. de tempore. Complectitur uero tria, nempe Prologum, Septem petitiones, & Conclusionem. 4

De



DOMINICA.  
DE PROLOGO.

93

Pater, est uox fidei, qua agnoscimus sublimitatem conditoris, seruatoris ac moderatoris omnium quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, & nostram humilitatem, cui non timore sed amore famulamur, inquit Augustinus, Quare mauult audire Pater quam Dominus.

Noster, est uox dilectionis, non enim unus Pater est, sed omnium qui fidunt in Filium eius unigenitum, Iesum Christum, Dominum ac fratrem nostrum. Complectitur itaq; hæc uox omnes, quotquot sunt, qui sese in Christo fratres cognoscunt.

Qui es in cœlis, est uox crucis. Deus est ubiq; sed peculiariter in cœlis, et in rebus cœlestibus atq; supremis uersatur. Auocamur quoq; hac uoce à rerum mundanarum desyderio ad contemplationem rerum cœlestium, & precamur ut nobis, qui in hoc mundo, qui est Sathane regnum, in ingentibus & uarijs periculis uersamur, subueniat, & tandem nos suos filios, ex ærumnis huius mundi eripiat.

DE SEPTEM PETITIONIBVS.

I.

Sanctificetur nomen tuum. Sancti  
ficari

ficari hic nil est aliud, ac laudari, glorificari, prædicari. Petimus quoq; ut largiatur nobis gratiam suam, ut sine offendiculo uitam traducamus, ne uerbum Dei propter nos male audiatur, sed ut doceatur pure, & nomen Domini à nobis glorificetur prædiceturq; laudibus, ut omnis creatura tremat ineuitabilem eius potentiam, æternam sapientiam ueneretur, ametq; ineffabilem bonitatem: & ut sui nominis splendor obscuret atq; extinguat in nobis omnem humanam gloriam.

## II.

Adueniat regnum tuum. Oramus pro illo regno, in quo uerbum Dei exercetur, ut Deus per fidem gratiæ suæ in nobis regnet, uiuat & operetur, faciatq; nos sibi seruire, ne immortalis & cœlestis uitæ gloria priuemur: Imo ut non solum eius uerbum in nobis frugiferum sit, sed ut in toto terrarum orbe longe lateq; spargatur, ac ita eius regnum propagetur, & ut impertiat nobis Spiritum sanctum, qui corda nostra per fidem ab omni peccatorum labe perpurget, & uerum in nobis diuini uerbi amorem accendat, ut istud & lubenti animo imo uehementi cordis desiderio suscipiamus, & perpetuo amemus quoq;.

Ad=

Adueniat: id est, manifestetur mundo, ut  
exponit S. Augustinus.

## III.

Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo &  
in terra. Oramus ut diuinæ uoluntati per omnia  
& in omnibus respondeamus ei; obtempe-  
remus, ut sicut in electis iam glorificatis in cœ-  
lo & in Angelis quoq; conformitas est atq; uni-  
tas uoluntatis eorum ad uoluntatem Dei, ita &  
in nobis, qui adhuc militamus in terris contra  
regnum peccati & mortis, eadem perficiatur  
atq; compleatur, ut præstet, inquam, ea omnia  
quæ uult à nobis fieri: & si aduersa nobis acci-  
dant, bonam uoluntatem Dei agnoscamus, uo-  
lentis nos ad pœnitentiam, & ad fidendum sibi  
prouocare, sin prospera, ne insolescamus, sed  
sibi ex animo grati simus.

Fiat: id est, consentiat caro spiritui, in-  
quit Augustinus, quia non aliunde tantum do-  
lorem habet humana miseria, quantum inde,  
quod caro concupiscit aduersus spiritum, &  
spiritus aduersus carnem, Galath. 5.

Et hæ tres petitiones pertinent ad æternita-  
tem, & complectuntur omnia spiritualia tam  
publica quam priuata, quæ ad gloriam Dei, &  
ad nostram salutem spectant, quarum series  
est, Nemo potest Deum sanctificare, in quo ille

H non

non regnat, Deo autem uolente in nobis regnare necesse est uoluntates nostras, id est, desideria illa carnalia, per se impura, praua et noxia, mortificari & interire. Quatuor uero petitiones, quæ restant ad præsentis uitæ necessitatem pertinent, & docent quo sit confugiendum in omnibus necessitatibus rerum temporalium atq; corporalium.

## IIII.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Oramus pro omnibus necessitatibus corporis, pro pace horum temporum, pro uictu, ut Deus agriculturalum labores fortunet, terram hymbre fœcundam reddat, quo fœliciter segetes proueniant atq; fruges, ut Deus arceat omnia mala, quæ solent fructus terre perdere atq; suffocare, ueluti sunt grandines, fulmina, uermiculatio, & huiusmodi: auertat quoq; malum belli, quo agri uastantur, conculantur segetes, cultores agrorum trucidantur, ut necesse sit oriri caritatem annonæ: Pro bona ualetudine quoq; oramus, & pro conseruatione bonæ ac honestæ famæ, pro fideli familia, pro casta coniuge, pro morigeris liberis, pro pijs magistratibus, pro doctis concionatoribus, & in summa, pro defensione omnium rerum corporalium.

Hodie

Hodie Pertinet ad illud Matthæi. 6. No-  
lite cogitare in crastinum. Laborandum qui-  
dem est singulis nobis, sed cura pro omnibus ne-  
cessitatibus Deo relinquenda, qui est tam opu-  
lentus, tam benignus, tam nostri amans, cuiq;  
tantopere curæ sumus, ut minime commissurus  
sit, quandoquidem etiã passerculis uagis de ui-  
ctu prospiciat, quumq; lilia pratensia tanto de-  
core uestiat, nobis deesse cibum ac uestes.

## V.

Et dimitte nobis debita nostra, si-  
cut & nos dimittimus debitoribus  
nostris. Filius Dei Dominus noster Ihesus  
CHRISTVS, imbecillitatem suorum membro-  
rum non ignorans, huic malo commonstra-  
uit remedium, uocans nos in certam spem, fore  
ut Deus pro sua clementia nobis remittat pec-  
cata nostra, si nos uicissim ex animo condonaue-  
rimus, quod frater in nos peccauit. Est autem  
hæc æquissima impetrandæ ueniæ conditio: qua  
enim fronte deprecari audet patris uindictam,  
qui leuem offensam in fratre suo parat ulcisci?  
Quare cum peccata nostra conscientiam per-  
turbant, docemur hac additione ceu certissimo  
signo & simbolo nos debere cognoscere pec-  
cata nostra nobis à Deo remissa esse, si proxi-

mo delicta, quibus nos offendit, condonauerimus. Non negas fratri misericordiam, ne tibi claudas patris indulgentiam.

## VI.

Et ne nos inducas in tentationem.

Non precamur ne tentemur, sed ne in tentationem inducamur, id est, ne à tentatione uincamur, ne Deus nobis presidium suum ac protectionem in tentatione subducat, sed nos custodiat atq; defendat. Est enim tota hæc uita undique plena Diaboli laqueis. Pro exemplo sunt, Iob, Saul, prius electus, post reiectus, David uir secundum cor Dei, initio quidem bonus, postea fit reus cædis & stupri, ut inquit Tertullianus, Petrus & plures alij. Demum non ueritus est tentator ille, ipsum filium Dei, technis suis aggredi, Matthæi. 4. Orandum est itaq; ut non permittat nos Deus tentari supra id quod possumus, sed faciat cum tentatione prouentum, ut sustinere possimus.

## VII.

Sed libera nos à malo: Id est, ab omnibus periculis & malis, quæ uel animæ uel corpori possunt ferre incommodum.

DE

## DE CONCLUSIONE.

Quoniam tuum est regnum, & potentia & gloria, in sæcula sæculorum: Christus Dominus noster animat nos hoc loco: Si enim Rex est et potēs Pater ac gloriosus, omnino & nos uincemus malignum, & post hac glorificabimur. Hæc Theophilactus.

Amen: Id est, fiat, quæ uox huic orationi accessit, ut non dubitemus preces nostras esse exauditas, & nos euasuros esse uoti compositos.

DE BAPTIS  
M O.

DEVS ab initio uoluntatem suam mundo manifestaturus hisce medijs usus est, scilicet Verbo & Signis. Quoties enim homini aliquid uerbo suo promiserit, statim addidit signū, quo facilius ea, promissa nempe in oculos nostros incurrerent, & nos diuinæ ueritatis admonerent: idq; propter nostram infirmitatem, ut qui solemus non contenti esse simplici

plici uerbo seu nudis promissionibus, mutua illa  
 uerbi & signorum coherentia duceremur ad  
 firmam indubitamq; fidem erga promissiones  
 Dei. Sic cum Noë promississet se posthac orbem  
 non perditurum aut submersurum esse diluui-  
 o, pro signo addidit arcum caelestem, nempe iri-  
 dem, Gene. 9. Sic cum Abrahamæ dedisset promissio-  
 nem de benedicto semine, nempe Christo,  
 Gene. 22. Galat. 3. per quem omnes gentes ter-  
 ræ essent benedicendæ, pro signo circumcisio-  
 nem addidit: Ita quoq; in Nouo Testamento fa-  
 ctum est: ut enim certi essemus de promissione  
 remissionis peccatorum, per Christum Filium  
 Dei & nostrum mediatorem, instituta sunt Sa-  
 cramenta, quæ sunt signa gratiæ, id est, diuinæ  
 promissionis seu uoluntatis erga nos, de remis-  
 sione peccatorum & iustificatione propter  
 Christū, qui nos sua morte Patri reconciliauit,  
 et sanguine suo abluit atq; mūdauit à peccatis,  
 quorum effectus est, fidem illam, quam uerbum  
 promissionis de beneuola Dei uoluntate, fauore  
 & gratia erga nos parit, excitare, erigere, cor-  
 roborare, certificare, confirmare, & tandem  
 de gratiarum actione & mutua inter nos dile-  
 ctione admonere. Quare uocantur testimonia  
 & signa externa, fidem ex uerbo conceptam  
 confirmantia, quæ idem monent planè & do-  
 cent quod ipsum uerbum. Euangelium enim  
 quod



quod est uerbum Dei, annunciat nos habere remissionem peccatorum & uitam eternam gratis propter Christum, idem monet & docet Baptismus, ostendens nos à peccatorum sordibus ablutos & mundatos esse sanguine filij Dei. Idem docet et monet nos Cœna Domini, nempe nos hoc corpore Christi, quod sumimus, redemptos, hoc sanguine, quem bibimus, mundatos esse à peccatis.

Est uero Baptismus Græca uox, significans immersionem seu tinctionem, & est signum Christianorum, quo in gregem Christi & ordinem innouandorum spiritu recipiuntur, qui tinguntur. Et illa tinctio seu mersio est signum pœnitentiæ, mortificationis carnis atq; regenerationis, ut passim scriptura testatur, præsertim autem Ioannis 3. Nisi quis natus fuerit superne, non potest uidere regnum Dei. Natiuitas enim per Baptismum, animæ illuminationem præbens, dat uidere regnum Dei, id est, cognoscere unigenitum eius Filium, inquit Theophilætus.

Symbola autem sepulturæ & resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Est enim baptismus signum morientibus quod sint reuicturi, teste Vulgario.

Marci 1. Omnes qui ueniebant & baptizabantur à Ioanne, soluebantur per pœnitentiam

à uinculo peccatorum suorum, dum credebant in Christum.

Roma. 6. Colos. 2. Vbi ostendit Baptismum esse sepulturam ueteris hominis, & resurrectionem rursus & nouam uitam. Quare etiam Sedulius baptismum resurrectionis pignus et imaginem uocat: & quod per aquam celebratur, fit ideo, ut sicut aqua sordes abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos & innouatos credamus. Sicuti enim corpus Domini nostri Iesu Christi tumulatum adeoq; in terram sepultum, salutem mundo protulit, sic & nostrum corpus per baptismum sepultum, nobis ipsis produxit iusticiam. Baptisma enim in nobis eum obtinet locum, quem crux ipsa & sepultura in Christo, ut dicit Theophilactus. Item, non solum Christi sepulchrum, quin & resurrectio ipsa per baptismum præten- ditur, per fidem nimirum. Nam cum fide certiori tenebimus suscitandi Deum habere hanc facultatem, nobisq; eam ad rem argumento fuerit, quod Christum excitari à mortuis, profecto bisariam iam resurreximus: tum quia resurrectionem speramus, quam fide cernimus, & si futura sit illa, quam hac ipsa adepti sumus, tum quia procul à nobis per Spiritum mortem eijci- mus, quæ ex operibus peccati imminebat. Hæc idem.

Augu

Augustinus epistola 5. ad Marcellinum sic ait, In baptisate oculi tui uident immersionem seu tinctionem ternam, aures tuæ audiunt promissionem gratiæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. His sensibilibus rebus Deus donat gratiam suam inuisibilem & redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Proinde Baptisma non iudicandum est talis aqua, quam haurit uacca, quemadmodum Sanctus Lutherus dicere solebat, sed aqua diuinæ maiestatis, id est, sanguis Filij Dei, & ignis spiritus sancti, in quo Filius per sanguinem suum sanctificat, Spiritus s. per ignem suum purificat et mundat, Pater per lucem suam uiuificat, ita ut tres illæ personæ diuinitatis præsentis unà idem opus diuinum conficiant, suamq; uirtutem omnem Baptismo inserant atq; indant. Non itaq; ambigamus, sed certo statuamus, quod ubi iuxta Christi institutionem baptismus cuiuspiam ministratur, ibi adsit præsens Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, quodq; in cœlis maximum gaudium, & quod peccatum condonatum, cœliq; semper aperti, nec posthac unquam ira, sed nihil aliud quam gratia, fauor ac beneuolentia sit. Summa, Baptizari nil aliud est, quam roseo illo & precioso sanguine lauari & mundari.

Qui crediderit. Christus his uerbis do-

H 5

cet

cet nos duo, primo, quid Baptismus prodesse aut operari debeat, deinde quales hi sint, in quibus uim & uirtutem suam exercere debet, aut qua re opus sit, ut utiliter eum accipiamus, nempe fide. Hæc diuus Lutherus in quadam homilia de Baptismo.

Quid uero utilitatis conferat baptismus, pulchre de hoc differit D. Augustinus sermone 138. de tempore, ubi inter cætera sic ait, Baptismus delet, quicquid præuaricatio sordidauit. Quare Petrus Iudæis corde compunctis ait, Resipiscite, & baptizetur unusquisq; uestrum sub nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti, Actuum 2.

**Lauacrum regenerationis.** Nos nascimur filij iræ & rei æternæ mortis propter peccatum quod afferimus nobiscum, sed uirtute atq; fiducia illius uerbi quod nobis in baptismo proponitur, liberamur ab originali peccato & malo.

**In Spiritu sancto:** Is enim est in nobis efficax, & operatur sua uirtute nouam & spiritualem uitam, hoc est, uerum timorem, ueram fidem, spem, dilectionem, patientiam, castitatem, temperantiam, sobrietatem & huiusmodi uirtutes Christiano homine dignas. Quomodo autem

tem

tem baptismo regeneremur disertè docet Au-  
gustinus tractatu 4. in epistolam beati Ioan-  
nis.

**Indubitatus sermo.** Perinde est ac si  
dicat, Indubitata & certa sunt promissa cœ-  
lestia.

**Sepulti sumus.** Baptismus igitur Chri-  
sti est nobis sepultura, in quo nimirum peccatis  
morimur, sepelimur criminibus, & ueteris ho-  
minis conscientia resoluta in alteram natiuita-  
tem rediuiua infantia reparamur: quia ibi per-  
didimus quod ante uiximus, & ibi denuo acci-  
pimus ut uiuamus. Magna inquam huius sepul-  
turæ gratia, quæ et purificat peccatorem, & ui-  
uificat morientem. Hæc D. Augustinus sermo.  
128. de tempore. Mori autem peccato est, non  
obsequi desiderijs peccati, mortificare mem-  
bra, tollere crucem, & Christum sequi, id est,  
in nouitate uitæ ambulare, donec ad æternæ ui-  
tæ gloriam perueniamus, in qua Christus  
est, nostra iusticia, salus & uita æ-  
terna, cuius diuinitas gloria  
patris appellatur, secun-  
dum Theodore-  
tum.

DE

# DE CONFES SIONE.



**S**IT quidem peccatorum confes-  
sio necessaria, & præcepta  
à Deo, qui ad Mosen locutus  
est dicens: Loquere ad filios  
Israel, Vir siue mulier, cum fe-  
cerint ex omnibus peccatis, quæ solent homini-  
bus accidere, & per negligentiam transgressi  
fuerint mandatum Domini, atq; deliquerint,  
confitebuntur peccatum suum.

Forma ueræ confessionis extat apud Danie-  
lem cap. 9. hoc modo: Domine nobis & patri-  
bus nostris confusio faciei, qui peccauerimus, ti-  
bi autem Domino Deo nostro misericordia &  
propiciatio, quia recessimus à te, & non audiui-  
mus uocẽ Domini Dei nostri ut ambularem in  
lege eius. Hanc quæ sequitur delictorũ condo-  
natio, ut testatur D. Ioan. Euangelista, inqui-  
ens, si confiteamur peccata nostra, fidelis est,  
& iustus (Deus) ut remittat nobis peccata no-  
stra, & emundet nos ab omni iniquitate, & pro-  
pterea animaduertenda est admonitio illa apud  
Esaiam cap. 43. dicentem, Narra si quid habes,  
ut iustificeris: conqueritur ergo Regius Pro-  
pheta

pheta Psalm. 31. quod ossa sua contabuerint atq; inueterauerint, quia tacuit confessionem peccati, q. d. quoniam delicta mea & animi maliciam tacui, non libere confitendo, pro ut debebam, torquet nunc conscientia & remordet, ut iugiter clamem pro dolore & angustia animi, debebam peccata mea coram Deo confiteri, & dolum spiritus minime celare: Tandem uero peccatum meum agnouit, & confessus sum tibi, & tu remisisti impietatem cordis mei.

Prouerb. 18. inquit Salomon: Qui obtegit scelera sua, non prosperabitur, qui uero confitetur & relinquit, misericordiam assequetur. Longa quippe est Dei benignitas atq; clementia, ut sacra scriptura permultis in locis testatur: quare nostrum est confiteri, hoc est, Deum laudare, nosmetipsos accusare, nobismetipsis displicere, delictum nostrum Deo facere cognitum, et iniusticiam nostram non abscondere. Deo enim nihil ita repugnat, quam cor impceniens, solum crimen est, quod ueniam non potest consequi, inquit D. Hieronymus ad Sabinianum. Non confundaris confiteri peccata tua, inquit Ecclesiasticus cap. 4.

Est igitur Confessio, quam diuinam uocant eruditi, quae fit intus in cordibus nostris coram Deo, quando agnoscimus peccatum nostrum, & condemnamus nosipsos, ut ex misericordia  
Dei,

Dei, quam imploramus, remittantur peccata nostra. Hanc potissimam nimirum, primam esse debere contendit Theodolphus Aurelianus Episcopus, & quotidie quoque fieri, quia quotidie peccamus, & citra hanc confessionem non condatur peccatum: illa usus est David Psalmo 50. inquit: Misere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: Tibi enim soli peccaui & malum coram te feci: estque peccatum meum contra me semper: & Publicanus Lucae 18. Deus propicius esto mihi peccatori: ô quam salubre uerbum & breue.

Peccaui, tres syllabæ, tamen inde expellitur Diabolus: nam per humilem peccatorum confessionem (& fidem in filium Dei, qui uenit saluare peccatores) remittitur peccatum, & diabolus principatum suum amittit, hæc Bernardus serm. 5. in Cantica canticorum Salomonis. Est enim fructus fidei, quum cor contritum & humiliatum se apud Deum accusat, sibi confusionem, soli uero Deo gloriam bonitatis & iusticiæ tribuens.

Est & confessio quam fraternam uocamus, quæ fit proximo nostro quem lesimus quomodoque aut dictis aut factis, ut eum placemus nobis, iterumque reconciliemus, si tamē iniuria est, & peccatum contra legem Dei quod admisi-

mus,



mus, uerum illa non potest alia ratione seu uia meliore fieri, quam per illatae iniuriae apertam confessionem cum delicti nostri deprecatione coram offenso. Huius formam habemus Matthe. 5. Vbi ita dicit Saluator, Si obtuleris munus tuum ad altare, & illuc recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte munus tuum ante altare, & abi prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum. Tantum ut nos diligamus, cōtemnit Deus proprium honorem. Si autem habuerit aliquid contra te frater tuus, nihil aliud apposuit, siue enim iuste siue iniuste habeat, reconciliare: & non dixit, si habes tu contra illum, sed si habet ille contra te, conare ut ipsum ad amicitiam reducas. Apponit autem dimittendum donum, ut tibi imponat necessitatem reconciliandi, & si tu uolueris offerre donum, cogaris reconciliari. Hæc Theophilactus.

Est & aurium deniq; confessio, quæ solet Ecclesie ministro, Sacerdoti inquam, fieri, coram quo nos accusamus: & illa præbet nobis in hoc adminiculum, ut accepto salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ obseruationibus, contritione nempe & fide, & mutuis orationibus etiam, maculas peccatorum diluamus. Fit enim ab illis, qui confluunt ad Euangelij prædicationem & ad usum Sacramentorum. Mittuntur etiam

etiam à Deo docti ministri, ut uias Domini exponant, id est, Legem & Euangelium, ut pœnitentiam & remissionem peccatorum annuncient in nomine Iesu Christi, Lucae 24. id siue publice fiat, siue priuatim, prout personæ, temporis aut rei necessitas exigit, recte admodum suo funguntur officio.

Desiderat certe Deus nostram confessionem, ut causam habeat ignoscendi, inquit Augustinus sermo. 66. de tempore. Nam in hac uita tantum pœnitentiæ libertas patet, post mortem nulla est correctionis licentia. Et ut Theophilactus inquit, Post hanc uitam non est tempus pœnitendi aut operandi. Proinde Dominus dicit fatuis Virginibus, Nescio uos, Matth. 25. Illa autem confessio solet fieri pro deponendo onere conscientie, uel pro doctrina, uel pro confirmatione fidei imbecillioris. In dubijs enim non sunt negligendi consultores. Debet uero huius usus esse liber, ut nemo ad illam cogatur, & si fit Sacerdoti, fiat uoluntarie. Quare Gratianus, qui multa de cōfessione illa scripsit, Lectori liberum reliquit iudicium. Panormitanus sentit eam esse iuris humani, & quanquam ad salutem necessaria non sit, quoniam non est mandata à Christo, neq; præterea possibilis est scrupulosa illa omnium delictorum enumeratio, dicente Psalmista, Delicta quis intelligit?  
Et

Et Ecclesiasticus cap. 8. dicit, Non omni homi-  
ni cor tuum manifestes. Hinc D. Chrysostomus  
in 11. caput Epistolæ ad Hebræos, non uult ut  
prodamus nos apud alios, sed iubet ut Domino  
uiam nostram reuelemus: Attamen in Ecclesia  
est retinenda, propter fructum singularem,  
qui inde oritur. Nam in ea dubijs conscientijs  
consilium, & in certamine peccati doctrina da-  
ri potest, cui quoq; accedat solatium mutua or-  
rationis, quæ nunquam debet omitti, Iuxta il-  
lud: Orate pro inuicem ut saluemini, ubi de re  
conscientiarum, de remissione peccati, de offen-  
so Deo per peccatum, & iterum placando, &  
tandem de uita agitur æterna. Accedit præte-  
rea huic absolutio priuata, quæ certa Ecclesiæ  
potestas est, Matthæi 18. Ioann. 20. qua eius mi-  
nistri peccati remissionē dispensant, quæ per-  
turbatis mentibus & peccati errore concussis  
atq; confusis adhibenda est, ut inde maius exer-  
citiū ualidiusq; robur fidei accipiant.

## DE SACRA- MENTO ALTA- RIS.



**S**ACRAMENTUM corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi primum uocatur Coena, à ritu primæ institutionis, quam Christus iam iam mortem pro nobis aditurus, uesperis cum discipulis suis celebravit, ut esset signum scilicet ab ipso institutum ad remissionem peccatorum illis qui credunt hisce uerbis suis, quod (corpus) datur, qui (sanguis) effunditur pro uobis in remissionem peccatorum. Vocatur etiã Sinaxis, id est, congregatio, eò quod celebrari solet & debet in conuentu Ecclesiastico, secundum uerba saluatoris dicentis, Quotiescunq; feceritis, facite in mei commemorationem: dicendo enim, accipite, comedite, bibite, significatur nostrum esse, quicquid Christi est. Appellatur quoq; Eucharistia, id est, gratiarum actio. Institutum est enim illud Sacramentum, ut illo utentes agnoscamus beneficium Christi. Deinde pro tanto beneficio agamus gratias, quod acerbissima sua passione & morte in nos collocauit, ut D. Chrysostom. inquit. Deniq; uocatur Nouũ testamentum, in quo nos constituit hæredes suorum bonorum, quæ sunt promissio iustificationis, id est, remissionis peccatorum, reconciliationis, abolendæ mortis, renouandæ humane naturæ & donandæ nouæ iusticiæ ac uitæ æternæ.

In

In eius commemorationem facere, id est, eius mortem annunciare donec uenerit, ut D. Paulus ait, 1. Corinth. 11. est prædicare Euangelium, agere gratias, laudare, recolere seu meminisse passionis, adeoq; omnium beneficiorum, quæ per eius mortem & resurrectionem accepimus, hocq; ad extremum usque diem huius sæculi, cum uenerit iudicaturus uiuos et mortuos. Ideo enim nobis sui memoriam reliquit, inquit Sedulius, quemadmodum si quis peregrè profisciscens, aliquod pignus ei, quem diligit, derelinquat, ut quotiescunque illud uiderit, eius beneficia & amicitias recordari possit, quoniam ille si perfecte dilexit, sine ingenti desiderio & fletu illud uidere non potest.

Sumitur uero hoc Sacramentum duplici modo, digne & indigne. Digne sumere, est agere prius pœnitentiam, hoc est, fateri peccata, ac certo deinde credere ea remitti gratis propter Christum, condonare etiam delicta proximo ex animo, ipsumq; diligere propter Christum.

Indigne uero sumere est, non uelle agere pœnitentiam, sed perseuerare in peccatis, de ijs nolle repræhendi, sed ea defendere, qui hoc faciunt, habent suam pœnam expressam apud D. Paulum loco supra citato: nam quemadmodum constat, qui tunc Dominum pupugerunt, non

potandi gratia pupugisse, sed ut funderent eius sanguinem, sic & qui indigne hunc hauserit, nullum ex eo fructum adeptus, frustra ac temere Christi sanguinem fudit, & id est reum fieri corporis & sanguinis Domini, ut Apostolus inquit, quasi illum occiderit, ut Iudæi, qui tanti mysterij Sacramentum pro uili habuerunt atq; despexerunt.

Non impune ferent etiam qui hanc sacrosanctam coenam contemnunt, & ad tam salutarem cibum nauseant, cui tamen nunquam comparari potest uel Ambrosia uel Nectar Deorum, de quo fabulantur Poëtae. Diuus Augustinus in libro de doctrina Christiana censet eos inter Christianos non esse numerandos, qui hoc Sanctum Christi institutum atq; præceptum spernunt, seq; ab illo abducunt, dicit enim, accipite, comedite, bibite, facite, quæ uerba sunt imperatiua, qui hæc contemnit, ostendit se non esse Christianum aut discipulum Christi.

Secus tamen sentiendum aut iudicandum de ijs, quibus denegatur Sacramentum, ut in Pæpismo altera species nempe uini: cum enim hoc fit, tunc cogitandum est de spiritali manducatione, de qua Christus Ioann. 6. quæ est tam necessaria, ut sine illa saluari nemo possit: quia illic manducare carnem & bibere sanguinem filij Dei, nil aliud est, ac credere Filium Dei carnem

nem

nem suam obtulisse, & sanguinem suum in ara crucis pro peccatis totius mundi sudisse. Et ita comederunt & biberunt Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sancti Patriarchæ, Propheta, & ceteri pij atq; electi, sic Ioannes Baptista, & permulti martyres sub tyrannide Traiani, Decij, Neronis, Diocletiani & reliquorum tyrannorum, etiam hoc tempore, necati, sic Latio in Cruce, sic per multa millia infantiũ baptizatorum, sic Antonius Eremita, sic Paulus Eremita, qui 60. annis in rupe latuit. De hac mystica communiõne corporis & sanguinis Christi, lege Augustinum, Theophilatum, & nostrum Melanchthonem in Euangelium D. Ioannis.

DE BENEDI  
CTIONE ET MA  
TUTINA ET VESPER  
TINA.



SEMPER & mane & uesperi oremus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nos qui eius sumus, à potestate tenebrarũ custodire, ingruente no

Et placidam quietem, & redeunte die pacem  
 largiri, animas nostras sanguine filij sui redem-  
 ptas, & corpora nostra in sua protectione con-  
 stituere, & tandem à tyrannide Diaboli magni  
 & maligni hostis, illaesa, incontaminata & sal-  
 ua conseruare uelit, idq; per administratorios  
 suos spiritus, Angelos nempe, quorum ministe-  
 rio curatur nostra salus, ut nos solentur, nobis  
 ministrent atq; inseruiant, sintq; nobis adiu-  
 mento contra impios, præsertim contra insultus Sa-  
 tanæ, ne impingamus, nosq; regant, gubernent,  
 moneant, defendant, ne inferatur nobis dam-  
 num: & ut nos quoq; purè, integre incorruptè  
 que uiuamus, & Deo semper agamus gratias,  
 pro immensis beneficijs suis, ut non solum reti-  
 neamus Angelos nobiscum, uerum etiam  
 ut illos indies nostra pietate et bo-  
 nis moribus magis ac magis  
 inuitemus.

DE



# DE BENEDICTIO NE MENSAE.



**V**T oremus Deum pro uita ne-  
cessitatibus & alijs rebus tam  
corporalibus quam spiritali-  
bus, habemus primo præceptū  
Domini ac seruatoris nostri Ie-  
su Christi, quod omnino non uult negligi: dicit  
enim, Petite & dabitur uobis, Matth. 7. Secun-  
do ipsius promissionem, Ioannis 16. Amen dico  
uobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo,  
dabit uobis. Oremus autem fide, sine qua nihil,  
sit in quacunq; necessitate, impetratur, sed cre-  
denti omnia sunt possibilia.

Oculi omnium in te sperant Do-  
mine. Psalm. 144.

Clare ostendit Propheta hisce uerbis, quo-  
modo omnipotens & misericors Deus, omni  
Creaturæ tam benigne prouideat, iubet ergo  
Saluator noster, ne scilicet simus solliciti ani-  
mæ, id est, uitæ nostræ, Matth. 6. Qui enim dat  
uitam, haud dubie daturus est & escam, & qui  
præstitit maiora, ut animam & corpus, utiq; et  
minora, ut uictum et amictum præstabit: Veluti

D. Hieronymus inquit: Videmus uolatilia cœli absq; ipsorum cura, diuina prouidentia alii: quanto magis nos, qui sumus Deo chariores illis, & ut Augustinus ait, plus ualemus quoq;: est enim nobis promissa uita æterna, conijciamus omnem sollicitudinem pro uictu & cæteris rebus fluxis in eum, qui uult & potest nos enutrire.

Te Pater obseruant oculis, in te omnia sperant,  
 Quæ uitalis adhuc luminis aura fouet.  
 Et tu respiciens tribuis sua pabula cunctis,  
 Distribuens escam tempore cuiq; suo.  
 Mox ut aperta manus patuit tua fundis in oēs  
 Omnia quæ uiuæ tempora lucis habent.  
 Atq; ita quando uoles dextra tua munera aper  
 Diuidis, & satias, quæ uoluere bonis. (ta

## DE GRATIARVM ACTIONE.



**V**T semper & in omnibus & pro omnibus Deo agamus gratias, scriptura nos docet, Deuter. 8. Cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, Psalmo 49. Immola Deo sacrificium laudis.

dis. Legitur quoq; 1. Timoth. 4. quomodo fideles cum gratiarum actione erga Deum cibum percipiant, & D. Augustinus inquit, Cibum non solum fauces sumant, sed & aures & os, imo totus homo, esuriant, audiant et prædicent uerbum Dei.

Confitemini Domino quoniam  
bonus. &c. Psalmus 135.  
& 146.

Ista gratiarum actio est uniuersalis & plena consolationis, in qua pii gratias agunt Deo pro acceptis bonis & donis, quem proinde bonum uocant, quod nunquam cessat benefacere & iuuare, & ideo iure solus bonus uocatur, ut dicit Christus in Euangelio, Nemo bonus nisi solus Deus, cuius bonitas uel in hoc apparet seu potius clare patet, quod pullos coruorum ipsum inuocantes pascit, quos corui propter albedinem uel abijciunt uel relinquunt antequam plumescant, donec assimilantur sibi: cur ergo nos non pasceret, qui sumus ad imaginem ipsius creati, sibiq; per sanguinem unigeniti sui Filij reconciliati, modo ut credamus, & caueamus, ne aliquid nobis aut uiribus nostris ascribamus, sed in omnibus ipsi et nomini eius gloriam demus.

## Psalmo 135.

*Sūma quibus domini bonitas est cognita, grates  
 Eia agite immensa pro bonitate Deo,  
 Qui sua iumentis dat pabula, dat sua pullis  
 Coruorum, querula quando ea uoce uocant.  
 Nō huic robur equi placet in ferra bella ruētis,  
 Non iuuat hunc fortis tibia crassa uiri.  
 Ipsum qui timuēre placent, hos diligit ultro,  
 Quicumq; ipsius spem bonitatis habent.*

# DE STATI BV S.



*S*ACRAE literæ cunctis officijs præscribunt normam uiuendi, Omnis ad bene uiuendum prouocatur sextus, ætas & dignitas, inquit Augustinus sermone 19. de uerbis Domini.

Episcopis, Parochis, & Concionatoribus.

**E**piscopus est, qui electus & constitutus est ad munus doctoris Ecclesie obeundum, quem

quem & Paulus uocat Præbyterum, id est, seniore, & est idem quod inspector, speculator, superintendens, gubernator, obseruator, minister & doctor Ecclesiæ, mysteriorum quoq; dispensator. Dicitur & Pastor, cuius est regere oues, id est, fideles, & defendere simul, sicuti Pastor facere solet. Dicitur quoq; Parochus, id est, doctor, largitor, præbitor uel exhibitor conuiuij, quod ceu Oeconomus tradit & exhibet Ecclesiæ demensum cibum: quare debet esse irreprehensibilis tam in doctrina quam in uita, non quod possit esse aut uiuere sine peccato, hoc enim impossibile esset, manent enim peccata etiam in sanctis, sed non imputantur propter fidem in Filium Dei, sed quod sibi de manifestis criminibus & uicijs caueat, quæ possunt accusari humano iudicio: quicquid enim lædit Episcopi famam, illud plerunq; in Euangelij quoq; famam uergit. Quare uult Apostolus Episcopum esse irreprehensibilem, id est, inculpabilem & sine manifesto crimine: nam uerbum & nomen Dei blasphematur, cum turpiter & improbe uiuunt Episcopi: Nam

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

Fit etiam ægré ut quisquam satis liberè

ac

ac seuerè possit uel audeat crimina ista repræ-  
hendere quorum ipse sibi ipsi sit conscius? Theo-  
philactus sic ait, Oportet, qui præest, ut tan-  
quam lumen aliquod se ad spectandum expo-  
nat, à quo & cæteri, cum in ipsum intenderint  
oculos, accipiant lucem. Quomodo præesse po-  
test Ecclesiæ, inquit Sedulius, aut auferre ma-  
lum de medio eius, qui in delictum simile cor-  
ruerit? aut qua libertate corripere peccantem,  
cum tacitus sibi ipsi respondeat, se eadem admi-  
sisse quæ corripit? D. Ambrosius de obseruan-  
tia Episcoporum ita docuit: Ne sit nomen ina-  
ne & crimen immane, ne sit honor sublimis &  
uita circumuallata peccatis, ne sit Deifica pro-  
fessio, & actio Diabolica. D. Hieronymus in  
primum caput ad Titum, imprimis exigit do-  
ctrinam sanctitati iunctam: perdit enim autori-  
tatem docendi, cuius sermo opere destruitur, ut  
idem ait in Epistola ad Oceanum.

Vnius uxoris maritum. Manifestum  
est ex scripturis sacerdotes & sanctæ Eccle-  
siæ ministros cum ueteris tum noui testamen-  
ti, legitimas habuisse uxores, ut Aaron, Petrus.  
Nuptiæ enim liberæ sunt omnibus iure diuino,  
nec cuiquam prohibitæ, exceptis eis de quibus  
Matthæi 19. D. Ambrosius scribit omnes Apo-  
stolos

stolos fuisse coniuges præter Ioannem. Christus etsi ex uirgine, tamen in matrimonio ex uirgine coniugata nasci uoluit. Paulum coniugatum fuisse, quidam probare uolunt ex 7. cap. posterioris ad Corinth. & ex 4. cap. ad Philip. præterea hoc testantur Ignatius & Eusebius. Spondon, Hilarius et complures alij habuerunt uxores. Peccant itaq; grauius, qui in Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris reprehēdunt ac damnant legitimas nuptias, cum semper melius sit nubere quam uri, 1. Corinth. 7. Quare unitas ista præcepta est Episcopo, ut necessario semper suam uxorem habeat, si aliter purè uiuere & uitare scortationes nequeat, ut illa sua una contentus, castè uiuat, ne uidelicet aut uirgines uirtuet, aut uiolet pudicitiam matronarum, ne sit scortator, & suo malo uitiosoq; exemplo Ecclesiæ Dei perdat, proinde uult Paulus ut suam propriam uxorem habeat, esto sit uel secunda uel tertia.

Vigilantem, Id est, diligentem in suo officio. Beatus enim seruus quem cum uenerit dominus, inuenerit uigilantem, dicit Dominus. De diligenti cura ouium commissa Pastoribus, lege ultimum caput Euangelij Ioannis, & 20. caput Actuum.

Sobrium

**Sobrium,** Id est, perspicacem & meditatundum, nullis huius seculi curis aut mœrore offusum, inquit Theophilactus.

**Modestum,** Id est, abstinentem, grauem & honestum.

**Hospitalem,** Id est, liberalem. De hospitalitate lege Augustinum, sermone 46. ad fratres in Erêmo, ubi eam uocat Angelorum amicam & charitatis sororem.

**Aptum ad docendum.** Quam necessaria sit diuini uerbi scientia in Episcopo, habetur in Ezechiele cap. 34. Nihil enim tam commodare potest Ecclesiæ & Euangelio, quàm ut Episcopi, Doctores, & Pastores sint boni & docti, à quibus reipub. Christianæ salus pendet.

**Non uinolentum.** Quantum malum ebrietas sit & Deo inuisum, ex scripturis sanctis notissimum est, præsertim ex 5. cap. Esaie. Cuius incommoda recensentur Prouerb. 23. & Ecclesiast. 31. Vino ne inebriemur, quod ea res uitam reddat interpretatiorem, & bene agendi occasionis incuriosum, docet Paulus ad Eph. 5. Augusti-



Augustinus uocat uinolentiam seu ebrietatem,  
puteum inferni, sermo. 231. de tempore.

**Non percussorem.** Grandia uitia sunt  
quidem duriter atq; seueriter repræhendenda,  
sed sedato animo, non ira percito, inflammato  
aut furibundo, multo minus pugnis. Non sit pe-  
tulans ad cædendum, inquit Sedulius.

**Non lucri cupidum.** Turpis lucri cu-  
piditas est, plus quam necesse est de præsentibus  
cogitare: Satius itaq; esse cogitet Episco-  
pus, ut fideliter suo fungatur officio, & thesau-  
rizet liberis atq; uxori noticiam Dei, quam ut  
mundi fauorem & alias res, non solum homi-  
num cupiditatibus, auaritiæ, fraudi, furtis, ra-  
pinis, latrocinijsq;, sed tineis & ærugini obno-  
xias. Christus non habuit, ubi reclinaret caput.  
Tolerauit quoq; sepe defatigationem, famem  
& sitim.

**Sed æquum.** Non solum damnemus seu  
arguamus auditores nostros, magistratum po-  
liticum & uulgus, sed nosmetipsos quoq; sedu-  
lo admoneamus nostri officij, & emendemus  
ignauiam aliâque uitia, quibus animi nostri  
sunt infecti atq; contaminati.

Alie

**Alienum à pugnīs.** *Chrisostomus in quadam homilia sic ait, Sacerdotis est tantum arguere liberamq; præstare admonitionem, non mouere arma, non usurpare clypeos, nec uibrare lanceam, nec iacula mittere. Arma enim Christianorum & præcipue Episcoporum, sunt lachrymæ atq; orationes, inquit Sanctus Ambrosius.*

**Alienum ab auaritia.** *Quæ est radix omnium malorum, nouerca insticiæ, abyssus insatiabilis, æternæ pœnæ uia, quæ sola iuuenescit (nunquam enim satiatur auarus) cum cætera uitia omnia senescunt, dicit Augustinus. Est certe turpe imo turpissimum Episcopum esse auarum, siquidem auaritia Diabolicum uitium est, ex quo multa proueniunt scelera. Auaritiam Sacerdotum & Episcoporum arguit Hieremias cap. 8. Esaias cap. 3. ubi eos uocat Exactatores sui populi.*

*Episcopus non debet habere bona terrena, ad possidendum, sed ad distribuendum non diuitibus aut cognatis, sed pauperibus, inquit Augustinus sermone 21. ad fratres in Erêmo.*

**Qui suæ domui bene præsit.** *Hoc est,*

est, qui rei domesticæ bene prospiciat, & familiam diligentius moderetur, oportet enim ut ex eius domo cæteris exempla prodantur. Quis enim crediderit hunc alienos sibi posse morigeros reddere, qui proprios filios sibi subiugare nequeat? Vel quo pacto alios moderatos effecerit, qui suos intemperantius uiuere siuerit? nihil sane aliud Episcopi domum dixerim, nisi exiguam aliquam Ecclesiam. Hæc Theophilactus.

**Qui liberos habeat in subiectione.** Qui enim non rectè proprios instruxerit liberos, quo pacto ad ea quæ rectiora sunt, instituet alienos?

**Non nouitium:** Id est, qui nuper ad fidem sit instructus & in ea recens plantatus, hunc inquit, nequaquam uelim ad huiusmodi munus præsidendi prouehi, sed si prius quam optimus discipulus sit, præceptoris illi officium demandetur.

**QVID DEBEANT  
AUDITORES EPISCOPIS  
suis.**

K

Docet

**D**ocet hoc Esaias capite. 49. inquit: & erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Syrach ad hoc ita hortatur dicens, In omni uita tua dilige eū qui te fecit, et ministros eius ne derelinquas, da illis partem sicut mandatum est tibi. Christus Euangelij prædicatores Apostolos suos missurus, dicebat illis, Ne portetis sacculum, neq; peram, neq; calciamenta, quasi dicat, estis enim alendi ab illis quos docetis, quid igitur uobis opus sacculis, uel cæteris, omnem enim illorum usum suppeditabūt hi, qui à uobis docentur. Hæc Theophilactus. Ministros Christi quibus debetur uictus, priuare necessarijs, est ipsum Christum spoliare, qui sic ait, Mihi fecistis, quod uni es hisce minimis fratribus meis fecistis. Ita Rex Ezechias præcepit habitatoribus Hierusalem, ut darent partes sacerdotibus & Leuitis, ut possent uacare legi Domini, 2. Chronico. 31.

Quatenus uero Episcopis & præpositis obediendum sit, pulchrè docet Chrysostomus his uerbis dicens, Dum præpositus malignus extiterit, non obaudiamus si scilicet malignus est in causa fidei, fuge illum & euita non solum si homo fuerit, sed etiam si Angelus de cælo descenderit, si uero in moribus malignus fuerit

rit noli scrutari. Et ex me ipso hæc non dico, sed ex scriptura diuina, audi Christum, Matthæi 23. dicentem, Supra cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisei omnia quæ dixerint uobis, facite, quæ autem fecerint, nolite facere. Quibus uerbis monet auditores ne contemnant Doctores, etiamsi sint corruptæ uitæ, cum doceant uerbum Dei, ipsi enim non sunt qui doceant, sed Deus ipse docet per eos, quare sunt audiendi: quantum uero ad mores pertinet, nemo potest lædi, quæ enim facit malignus ille prepositus, omnibus sunt & fiunt manifesta, sed in causa fidei non idem, si scilicet obturbet fidem, uel hanc, ut deseras, cogat.

## DE MAGISTRATIBVS.



OTESTAS à Deo data est, ad uindictam quidem malorum, ad laudem uero bonorum, & illa ordinata est Genes. 9. his uerbis: Quicumq; effuderit

humanum sanguinem, fundetur et sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo. Exo-  
 di 18. Provide de omni plebe uiros sapientes  
 & timentes Deum, in quibus sit ueritas, &  
 qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tri-  
 bunos & centuriones, qui iudicent populum  
 omni tempore, item Matthæi 22. Lucæ 20. Ro-  
 mano. 13. ad Titum 3. 1. Petri 2. Ordinata est  
 autem ad improbitatem cohercendam & or-  
 nandam honestatem, ad defendenda recte facta  
 & punienda delicta gladio, id est, pœnis cor-  
 poralibus: Quare necessaria est, gerit nimirum  
 uicem Dei in terris, proinde obediendum est  
 illi, qua carere nequimus.

Dei ordinationi resistit. Est enim  
 Deus uindex & conseruator suæ ordinatio-  
 nis, quam non uult uiolari. Oremus etiam pro  
 magistratibus, ut docet Paulus 1. Timoth. 2.  
 ut quietam & tranquillam uitam agamus in  
 omni pietate & honestate: nam hoc bonum est  
 & acceptum coram seruatore nostro Deo, qui  
 cunctos homines uult saluos fieri, & ad agni-  
 tionem ueritatis uenire, agamus quoque gra-  
 tias Deo, quod per eas qualicumque pace frui-  
 mur, ne omnia latrocinijs & cædibus fiant in-  
 festa, quare debet à nobis amari, propter ua-  
 ria

ria beneficia, quæ in rempub. præstat: Debet quoq; timeri, ne illius constitutiones uiolamus, nam sunt edicta diuina, hoc est, Deus uult illis obediri tanquam suo uerbo, iuxta illud Prouerbi. 16. Diuinitio in labijs regis, id est, quicquid reges seu magistratus pronunciant, id pro Dei uoce est amplectendum. Summa, in omnibus quæ mandant, obtemperandum est magistratibus, hoc enim Christus ipsemet fecit & docuit, Matth. 17. et 22. Similiter et nutricius eius Ioseph cum Maria sua Matre uirgine, Lucæ 2. quantum ad res externas siue corporales, etiam si in nos meros agant tyrannos. Non enim est paranda uindicta aduersus impios magistratus. Docent enim quædam exempla seditio- nes grauisime punitas esse diuinitus, ut seditio Corah, seditio rusticorum & his similes. Sedulius ita dicit, potestas etiam iniqua à Deo est, quæ persequitur seruos Dei, fidem impugnat, religionemq; subuertit, ut Pilatus, Herodes, Nero, Domitianus, Iulianus Apostata, & cæteri, & mittitur propter peccata populi, Iob. 34. Prouerbiorum 28. Esaia 3. Vnde Ioannes Pinitianus, inquit,

Imperium quodcunq; feras, nam uulgus iniquum  
Sæpe magistratus commeruere malos.

Verum si conantur conscientias nostras obstringere, illasque ducere captiuas & ita dominari in spiritum, citius iugulum offeramus, quam ut ipsis pareamus: solus quippe Deus in conscientijs sedet & regnat. In corporalibus & externis obediendum est Regi, inquit Theophylactus, in internis autem & spiritualibus soli Deo, iuxta illud Psalmo 113. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum, hoc est, in terrena & quicquid ad regnum terrenum attinet, copia facta est homini diuinitus quidem, in cœlestia uero & quicquid ad regnum supernum attinet, solus Rex cœlestis dominatur.

Quare ita docet Sanctus Hieronymus, si bonum est inquit, quod præcipit Imperator aut præses, iubentis obsequere uoluntati, si uero malum, & contra Deum sapit, responde eis ex Actibus Apostolorum, Oportet obedire Deo magis quam hominibus. Item Chrysostomus, Tu, inquit, cum audias reddenda esse Cæsari quæ Cæsaris sunt, de illis tantum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Cum enim constemus ex anima & corpore, quam diu sumus in hac uita temporali, etiam temporalibus rebus ad subsidium degende huius uitæ utamur, oportet nos ea ex parte



parte, quæ ad hanc uitam pertinent, subditos esse potestatibus, id est, hominibus, res humanas cum aliquo honore administrantibus: Ex illa uero parte, qua credimus Deo, & in eius regnum uocamur, non oportet nos esse subditos cuiquam homini id ipsum cupienti in nobis euertere, quod Deus ad æternam uitam donare dignatus est. Proinde iste modus est seruandus, quem ipse Christus seruator noster nobis in Euangelio suo præscripsit, scilicet, ut reddamus Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Quare si aliud iubeat Imperator, aliud Deus, qui iudicas? maior potestas Deo, da ueniam ò Imperator, tu carcerem, ille uero gehennam minatur. Hæc Diuus Augustinus, Scriptum est enim, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, Matthæi 10. Huc pertinet exemplum Sadrach, Mesach & Abednego, qui malebant in fornacem æstuantem conijci, quam statuam Regis adorare, Daniel. 3. De mirabili magnanimitate & constantia Eleazari, & septem fratrum eorúmque Matris, lege 6. & 7. caput secundi Machabæorum. Diuus Ambrosius scribit de Iuliano Apostata



ta, quod habuerit sub se Christianos milites, quibus cum imperauerat producere arma in defensionem reipublicæ, iussis eius obtemperarunt, cum uero iusserat ipsos debere arma producere in Christianos, parere noluerunt, dicentes sese agnoscere Imperatorem cœli. Sic quoque magnum humanitatis ingenium præstiterunt obstetrices Hebrææ, Exodi 1. quibus imperatum fuerat à Pharaone Rege Aegypti, ut natos masculos Hebræorum necarent: Ille enim Deum timentes, contemnebant edictum Regis, qui insequebatur eos, quos nondum uiderat & conseruabant mulierum sacraria. Mala enim imperantibus non est parendum, inquit Diuus Bernhardus, & diuina Imperatoriæ potestati non sunt subiecta, inquit S. Ambrosius.

## QV ID SVBDITI MAGISTRATIBVS debeant?

**H**Abent quidem Christiani unum Dominum nempe Iesum Christum, cui obedire debent, uerum ne sint turbarum autores, propter Christum aliquid hominum potestatibus tribuant illisq; morem gerant (hoc enim & Chri-

Christus fecit) Non habent opus ullis principibus Christiani, siquidem sua sponte officium suum faciunt, tamen quidam sunt, qui ista libertate Euangelij abutuntur, nolentes potestati obtemperare, illis dictum est, ut sint subditi, humane potestati propter Dominum, secundum Petrum, & propter conscientiam secundum Paulum, ne arguantur ingrati in beneficos: conferunt enim in nos multa beneficia Magistratus præserim pij, & per illos hæc nostra uita constat, qui si tollantur è medio, auferantur & cuncta necesse est. Suadeat igitur unicuique conscientia sua, ut eis deferat honorem, qui sui curam susceperint, idq; propter præceptum Domini, cuius sunt ministri. Hæc Theophilactus.

Loquamur etiam honeste de Magistratibus, illósque non contemnamus, aut maledictis laceßamus, iuxta illud, Principi populi tui non maledices, Exodi 32. Actorum 23. Integra regna sunt in Paulum concitata, qui tamen semper optime de magistratibus est locutus. Dictum Pythagoræ est, ignem ne gladio fodias, id est, ne laceßas potentiam, ne agas aut dicas quod principom lædat prouocetq; ad iracundiam. Quare Aristoteles Calisthenem monuit, ut uel raro uel amice loqueretur cum Ale-

xandro Magno, qui ita dicere solitus est, teste  
 Qu. Curtio, Regum ducúmque clementia,  
 non modo in ipsorum, uerumetiam illorum quo-  
 rum est parère, ingenijs sita est, siquidem obse-  
 quio mitigantur, contumacia fiunt truculenti.

## M A R I T I S.

**C**ompertum habeant, quinam mulierum  
 genus tractandum sit: sic autem mulieres  
 tractandæ sunt, ut illarum uitia aut mutantur,  
 aut tolerantur. Mulier certe non est scabellum  
 sed adiutorium & Dei altissimi donum. Mulie-  
 res tam corpore quam mente sunt imbecilliores  
 uiris, cum illis itaque modestius est agendum, &  
 illis parcendum quoque, ne iurgia crescant in  
 matrimonio, quibus preces interrumpuntur  
 atq; impediuntur, & apud Deum non exau-  
 diuntur, nisi concordia inter illos constiterit.

## V X O R I B V S.

**V**T in uiris beneuolentiam erga uxores,  
 ita quoque in Mulieribus subiectionem  
 erga uiros requirit scriptura. Mulier namque  
 cum adamatur, & ipsa reciprocam amoris ui-  
 cissitudinem refert, mansuescit uir obsequio &  
 præbet se benignum. Vxoribus autem officia  
 sunt, obtemperare uiris, timere uiros, quam  
 possunt caste uiuere, & non adeo sumptuosas  
 uestis

uestibus uti, sed operam dare, ut mentem puram nullo uitiorum neuo contaminatam habeant, non feroculas esse erga uiros, nihil intemperantiae, nihil iracundiae, nihil inuidiae, nihil ambitionis praeseferre, Deo in omnibus fidere, quemadmodum Sara Abrahae uxor & caeterae sanctae mulieres fecerunt.

## PARENTIBVS.

**A**Mare liberos ab ipsis parentibus uel inuitis natura deposcit, sed docet Apostolus Parentes non debere liberos prouocare uel concitare ad iracundiam, nempe exhaeredando uel quopiam relegando, uel grauius ut seruos & non liberos coercendo, sed educare debent illos in diuinis sermonibus, ex quibus perdiscent quid sit illud, Honora Patrem et Matrem, ut sis longaeuus super terram. Haec Theophila.

## LIBERIS.

**L**iberi putent parentum iussa esse secundum Deum si non sunt contra Deum et contra conscientiam. Nam si ad infidelitatem impigerit Pater, uel Filiam uelit prostituere, aut inhonestis artibus imbuere liberos, nequaquam huiusmodi imperium à Domino erit, et propterea huic non obtemperandum.

Nam

Nam id est iustum, Natura scilicet, & iniunctum à lege. De hac lectione supra dixi in explicatione quarti præcepti.

SERVIS, ANCILLIS, MER-  
cenarijs, &c.

Iuxta carnem, id est, temporarijs, & ad breue dominatu hoc potituris, inquit Theophilactus, idq; sine dolo & fraude, ultro & non inuitò. Est enim Dei uoluntas, ut serui se subdant Dominis, cum non sit contra Deum: Quare addidit, sicut Christo, ut scilicet non audiat seruus Dominum carnalem, si contra-ria præceptis Dei uoluerit imperare. Hæc Sedulius.

PATRIBVS ET MATRIBVS  
familias.

**Q**Vasi dicat, Vobis curæ sit, ut seruis uestris necessaria subministretis, eos toleretis, & ijsdem in aliquibus rebus condescendatis & assentiimini. Et inter mirandum ne sitis adeo molesti & graues, ne scilicet uestræ malitiæ imputetur si effugerint.

COMMUNI IUVENTVTI.

HOC

**H**OC est, ut utrinque sit charitas, sit hu-  
 militas, qui senior est, qui dignitate præ-  
 cellit, ita se gerat, ut alijs profit, ut omnia fi-  
 ant omnibus, qui iunior est, plus præstet quam  
 exigatur. Summa, de nobis nostrisque uiribus  
 meritisque prorsus desperemus, & in solam Dei  
 misericordiam omnem spem defigamus, præ  
 nobis nullum contemnamus, resistit enim su-  
 perbis, id est, illis male uult Deus, frustratur  
 illorum conatus.

## V I D V I S.

**V**ERE Vidua est quæ neminem habet  
 qui sibi prospiciat, non nepotem, non  
 filium, sed eius spes omnis in Deo affirmata  
 est. Viuens, id est, secundum animam  
 seu spiritum. Quare D. Augustinus sermone  
 7. de tempore, monet Viduas his uerbis: Vo-  
 bis loquor, quæ estis Viduæ, custodite uidui-  
 tatem, non estote uerbosæ, sed cum silentio ex-  
 pectate Dominum, qui pupillum & Vi-  
 duam suscipit, Psalmo 146. Vn-  
 de, Pupillos Dominus Viduâs=  
 que extollit egentes, Im-  
 pius iratum cor=  
 ruet ante  
 Deum.

Laus Trino & Vni.

Cata=

# CATALO

LOGVS AVTORVM QVI

IN HOC LIBELLO CI-

TANTVR.

EX SACRIS BIBLIIS.

Mofes

Samuel

Dauid

Salomon

Iefus Syrach

Philo Iudæus

Efaías

Hieremias

Ezechiel

Daniel

Ofea

Michæas

Ezechias Rex

Matthæus

Marcus

Lucas

Ioannes

Paulus

Petrus

Iaco



Iacobus  
Autor epistolę ad Hebr.

EX SANCTIS PATRIBVS.

Augustinus  
Hieronimus  
Ambrosius  
Cyprianus  
Chrysoftomus  
Bernhardus  
Gregorius  
Tertullianus  
Theophilactus  
Theodulus  
Sedulius  
Theodoretus  
Cyrillus  
Photinus  
Gennadius  
Isidorus  
Oecumenius  
Panormitanus  
Irenæus.  
Eusebius  
Theodolphus  
Vulgarius

Grae

Gratianus  
Iohannes Hufs  
Martinus Lutherus  
Philippus Melanchton  
Erasmus Rotherodam<sup>9</sup>  
Vrbanus Regius  
Eobanus Hessus  
Anacletus Papa  
Ioannes Pinitianus  
Franciscus Lambertus  
Scotus  
Petrus de Aquila

EX ETHNICIS  
SVNT

Pythagoras  
Q. Curtius  
Horatius  
Plato  
Alphorabius  
Cornelius Tacitus

AD

AD PRVDEN  
TISSIMVM SENATVS  
TVM CALBIENSEM  
Hendecasyllabum.

**E**N prudens Lyricis tibi Senatus  
Hunc Psalmum numeris dicare suauem  
Astrictum placuit, preces senescens  
Fert Ecclesia quo Deum ad potentem  
Ardentes, medijs ea in periclis  
Ne linquatur, & ut Deus Tyrannos  
Bacchantes reprimat ualenti dextra.  
Tu mente accipias eum benigna  
Quæso, ceu specimen mei fauoris  
Quo te prosequor, his ualetio recte.

L

Psalmus



PSALMVS  
LXXI. QVO REGI  
VS PROPHEA DAVID SVB  
nomine Ecclesiæ senescentis orat, ne  
à Deo in senectute deseratur, sed ut  
potius per ipsum conseruetur, rega-  
tur & defendatur aduersus furores  
hostium, Sapphico carmine in  
gratiam prudentissimi  
Senatus Calbien-  
sis,

PER  
HENRICVM BRENTI-  
VM REDDITVS.

*S*umma qui rerum Deus es potestas  
Somnium solus sine fine, dextra  
Cuius & mundi, rutiliq; cœli  
Cuncta gubernat:

*Spem meæ totam posui salutis  
In tua sancta bonitate, solus  
Tu meus portus, mea fortitudo,  
Vita, salusq;.*  
Ex manu

Ex manu quaeso rapias cruenta  
Persecutoris mea membra saevi,  
Da meis aures precibus benignas,  
Meq; tuere.

Esto tu fortis mihi Petra, tutus  
Esse qua possim scelerato ab ense  
Hostis, & qua me nequeant acuta  
Ledere tela.

Ab Deus certum mihi sis Asylon  
Quod petam diros fugiens Tyrannos,  
Obq; promissum facias hoc oro  
Corde gemente.

Eius à tetro redimas furore,  
Me superbo qui tua sancta uerba  
Ore contemnit, sine iure quiq;  
Omnia tentat.

Sum tibi fesus teneris ab annis  
Obruerunt me mala quantacunq;  
Est adhuc in te mea spes locata  
Firmiter omnis.

Matris ex aluo mea membra duxti,  
Illa seruasti uarioq; casu  
Vsq; in hanc horam manuum tuarum  
Robore magno.

L 2

Ergo

Ergo te cunctis uenerabor horis,  
Ac tuum nomen celebrabo sanctum  
Laudibus dum me patieris auras  
Carpere uitæ.

Contulit me prodigio scelestæ  
Turba, sed uirtus tuæ me tuctur,  
In tuis spes est manibus salutis  
Condita nostra.

Da tua semper mea uox abundet  
Gloria, da quò sine fine narrem  
Aedidisti quæ digito potenti  
Facta stupenda.

Ne tuam de me faciem benignam  
Flecte, diuinum mihi nec fauorem  
Denega, tristi mea cum senectæ  
Membra prementur.

Nam profano me populi rebelles  
Ore subsannant, uariasq; technas  
Quò meæ uitæ noceant requirunt  
Nocte dieq;.

Proferunt tales tumido ore uoces,  
A suo planè iacet en relictus  
Iam Deo, cuius toties iuuamen  
Vexit ad astra.

Arma

Arma nunc ergo sua quisq; sumat,  
Mox eum gressu celeri sequamur,  
Sentiet quantum uitium sit orbis  
Spernere Reges.

Longius de me Pater ô supreme  
Hisce discedas rogo ne periclis  
Quin meum corpus potius ualenti  
Protege dextra.

Fac precor cuncti pudefacta turba  
Sint, meæ uitæ mala qui laborant  
Noctibus totis simul & diebus  
Reddere multa.

Spem mihi totam statui sed in te,  
In meo crescet tua laus & ore,  
Pectore & toto tibi grata semper  
Iubila promam.

Nec tuæ nunquam mea uox honorem  
Prædicabit iusticiæ, tuæq;  
Quæ potest nemo numerare magna  
Dona salutis.

Insuper quam sis in eos benignus,  
Qui tuas leges uenerantur, omnes  
Ac potestas sit tibi quanta cuncto  
Tempore dicam.

L 3

Doctus

Doctus à te sum teneris ab annis,  
Tu mihi iniunxisti sapientiamq;  
Ergo narrabo tua gesta mira

Maxime diuūm.

Cum mihi cani uenient capilli,  
Atq; decrescent mihi quæ fuerunt  
Corporis uires, rogo ne uelis me

Linquere fractum.

Dum tui magnam mea firmitatem  
Brachij spargant labia in nepotes,  
Dumq; sis notus generationi

Redditus omni.

O Deus rerum tua fabricator  
Magna contingit bonitas olympum,  
Orbe quis uasto tibi conferendus

Axeq; celso?

Mille cinxerunt latus, annuente  
Te, meum stricti gladij, periculis  
Sum tuæ dextræ tamen expeditus

Robore cunctis.

Ex profunda me reuocasti Abysso,  
Ac meum rursus caput eleuasti,  
Esq; solatus uario referta

Corda dolore.

Maxi-



Maximas quare uolo ferre grates  
Pro tua magna tibi ueritate,  
Organis Psallam tibi & in sonoris  
Cantica grata.

In tuas laudes melos atq; dulce  
Sancte in Israël Cythara sonabo,  
Pulsatum reddent tibi rauca laudem  
Tympana rectam.

Insuper tollam super astra cœli  
Te meis labris, celebrabit atq;  
Vita te semper mea quam redemit  
Sanguine Gnatus.

Quin tuam pectus meum in omne tempus  
Eloquetur iusticiam, pudore  
Obruentur cum mihi molientes  
Damna Tyranni.

F I N I S.

### Corrige quædam.

A. 5. Versu à. fine 5. Lege, huic uestro  
omissa Si particula. Ibidem facie 2. V. 12. l. or  
dine. B. 1. fa. 2. V. 1. l. occupentur. Pagina  
27. V. 13. le. præsit. Pa. 62. V. 1. le. Calumnia  
tor. P. 84. V. 6. l. sessione. P. 112. V. 4. le. In=  
stitutionis. Pa. 124. V. à fine 2. le. Intempera=  
torem. P. 126. V. à fine 6. exactores. P. 135.  
V. 10. le. præsertim & 3. à fine principem.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be a formal document or letter.


F I N I S



Cum purissima et optima pars spiritus humani se  
 sempiterni & filii dei principalis est hinc alas  
 que donum spiritus s. in baptismo accepit ut  
 iam de deo & redemptore nostro Jesu Christo doctrinam suam  
 iose discit et cupit mente simpliciter ac pura fide de  
 inuolant, & alacritate toto corde pro beneficiis acceptis.  
 De gratias agit, atq; in iudiciis & reliquis uita partibus  
 mandata officia exequens Deo et parentibus ac prae  
 sidentibus suis reuerenter obaudit. Debitum non est qd  
 Deo huc prima obediencia, inuocatio, obedientia et  
 laudes magnopere deo placeant, sed hae in partibus  
 gloria ornatur ab ipso et Christo hinc sua uisitatione uerbis:  
 "In te paruulus a d. me uenit, tabernaculum enim est regnum  
 coelorum. Item non est uoluntas patris, uel filii, uel  
 uisus de paruulis qd is uult. Item nescitis quid  
 fueritis & scitis sicut paruuli non inquit in uisum  
 uestrum. Item ex ore infantium et lactentium profertur  
 laus. Quae dulcissima consolatio hinc est, quod scilicet  
 fuerit et uisitationes hinc coelestis deo placeant, hinc  
 qd deus uia hinc uocacione et confessione peccatorum  
 celebrari, quod dicitur tam in paruis quam in adultis iudiciis  
 uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione  
 qd proponit uera et sana doctrina, charitas et diligencia  
 ex utraque, fide inuocatio, confitio & praesentia ad deum hinc  
 deus hinc laudem sonare in uocacione hinc uisitatione hinc  
 uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione  
 et reuerentia in deo coelestis regnum et paruuli ad deum hinc  
 fidei et pariter uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione  
 et hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione  
 cum adultis hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione  
 uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione hinc uisitatione

*[Handwritten signature or initials in blue ink]*





2

PARVVS  
CATECHISMVS  
REVERENDI AC SANCTI  
PATRIS D. MARTINI LVTHERI,  
PIAE AC FELICIS MEMO-  
RIAE CASTIS SCHOL-  
IS ILLVSTRA-  
TVS:

PER M. LEONAR-  
DVM IACOBI NORTHV-  
SIANVM, ECCLESIAE  
CALBIENSIS PASTO-  
REM.

2. *Timoth. 2.*

Verbum ueritatis recte tractet  
Episcopus, prophana &  
uaniloquia deuitans.

L I P S I A E  
EX OFFICINA VALENTINI  
P A P A E.

M. D. LII.